

COMMENTATIO
DE
NVMO HADRIANI PLVMBEO
ET
GEMMA ISIACA
IN
FVNERE AEGYPTII MEDICATO
REPERTIS
SERENISSIMI CELSISSIMIQVE
PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
CAROLI
DVCIS BRVNOVICENSIVM ET LVNAEBVRGENSIVM
REGNANTIS
IVSSV CLEMENTISSIMO
ADORNATA
A
IVLIO CAROLO SCHLAEGERO
PHILOLOGO HELMAESTADIENSI

CICERO
Veterrima quaeque, ut ea vina, quae vetustatem ferunt, esse debent suavissima.

HELMAESTADII
EX OFFICINA DRIMBORNIANA
CIↃ IↃ CCXXXXII.

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CAROLO

DVCI BRVNOVICENSIVM ET LVNAE

BVRGENSIVM REGNANTI

PATRIAE PATRI

PRINCIPI PIISSIMO

FORTISSIMO FELICISSIMO OPTIMO

DOMINO SVO LONGE CLEMENTISSIMO

GLORIAM VITAM INCOLVMITATEM

FAVSTA DENIQVE OMNIA

DEMISSISSIME

APPRECATVR

IVLIVS CAROLVS SCHLAEGER



Ad TVVM, PRINCEPS SERENISSIME, *solium*, GLORIOSISSIMORVM MAIORVM *pietate; sapientia, magnanimitate, clementia et rerum, domi forisque, gestarum claritate maxime decoratum, inprimis vero praeclarissimis* TVIS *virtutibus, qui-*

bus illorum maiestatem si minus superas, assequeris certe, praefulgens, dum venerabundo animo demississime et subiectissime deponere gestio hoc quicquid est libelli, repudiandas esse intelligo tritas illorum sermone formulas, qui ad generis humani tutores ingenii sui fetus deferre conantur. Non eo consilio hanc opellam CELSISSIMO NOMINI TVO *consecratam cupio, ut, in eius frontispicio, monumentum videar condidisse, laudibus* TVIS *impletum. Piaculum mererer, si ea levibus et fortassis, non ita multo post, perituris chartis inscriberem, quae marmoreis aereisque, immo aureis et cum perpetuitate demum consummandis aris ingenue et ornate sunt celebranda. Nec precari licet huic opusculo, ut* TVO, DOMINE CLEMENTISSIME, *praesidio et custodia tegere ne dedigneris suum auctorem. Hic enim in parte felicitatis suae praecipua reputat, quod sub* TVA, FORTISSIMI *otii et salutis* PROPVGNATORIS *atque* HERI LONGE OPTIMI *umbra ab iniuriis omnino omnibus tutissimus in otio negotioso, sine turbis, vivere, Musarum sacris, sine metu, operari atque ita rei communi, pro virili parte, potest inservire. Inferant in* TVVM, DVX MAXIME, *sacrarium litterarias suas opes; inscribant*

illis

illis muneris titulum, qui magniloqui et tanta sunt confidentia, vel potius audacia, ut, aliquid se excudere posse, credant, non indignum TANTI PRINCIPIS *purpura. Hos si imitarer, merito iudicarer oblitus, nihil in scholarum pulvere, nihil in Museorum succrescere tenebris, quin* TVA *dignitate* TVO*que splendore longissime superetur. Et, quid possident, qui* TVO *subiecti sunt imperio, quo* TE, DOMINVM *suum, munerentur opipare? Nihil profecto habent, qui* TVI *sunt et usu, et fructu, quosque pro* TVA *incolumitate fortunae perdere oportet dona, sanguinem effundere et ipsam ponere vitam.*

Aspernor haec et, si quae praeterea adhibentur, solemnia dedicantium verba; quae, si nonnunquam, sine indignatione, admisisti, PRINCEPS SERENISSIME: *plane ostendisti, quam inusitata sit, quamque inaudita* TVA *mansuetudo.*

Nova et, quod sciam, hactenus a nemine usurpata voce TE, CELSISSIME DVX, *iuvabit alloqui, dum ad pedes* TVOS *paginas hasce admodum exiles ea, qua decet, submissi animi reverentia advolvere sustineo. Accipe, inquam,* PATRIAE PATER OPTIME, MAXIME, *libellum, quem clementissima* TVA

manda-

mandata diligenter, ut fas est, persecuturus, pro concessis a natura ingenii dotibus, quas non diffiteor esse exiguas, composui. Accipe, quaeso, DOMINE, *has cultus Tui primitias atque intuere vultu sereno hocce signum qualecunque devotissimi* TIBI *animi mei, quem modo longe luculentiori nunc declararem, si tantum suppeteret virium, quanta flagro cupiditate summam erga* TE, PRINCIPEM CELSISSIMVM, *cui quicquid in me est consecrare et debeo, et lubentissime volo, pietatem prorsus probandi.*

Quum optime sis gnarus, PRINCEPS SAPIENTISSIME, *civium* TVORVM, *immo totius hominum generis, felicitatem et salutem tam armis, quam artibus sustentari: ita Martem diligis, ut Minervam quoque complectaris, foveas rebusque exornes omnibus. Non secus, ac* HEROES MAXIMI, *quorum divino cretus es sanguine, fecerunt, cum universam solidiorem eruditionem excultam cupis et amplificatam, tum illarum quoque disciplinarum strenue geris curam, quae elegantiores dicuntur, quibusque ipsi homines ad humanitatem solent informari. Colimus in* TE, CAROLE, *et sanctissime quidem colimus, quotquot in elegantiori hac exerce-*

mur

mur palaestra, quem in DIVO AVO TVO, FERDINANDO ALBERTO, *maiores nostri auguste sunt venerati,* MVSAGETAM *nempe* FORTISSIMVM. *Quemadmodum enim hic piissimae memoriae Princeps, saeculi sui sidus splendidissimum, varias venerandae antiquitatis reliquias, usu et elegantia longe praestantissimas, in maximum rei eruditorum publicae et ornamentum, et commodum, evulgari iussit: ita etiam tanta* TVA *est munificentia, ut, quae, ante tempus haud ita multum, ex remotissimis Aegypti accepisti partibus, cimelia rarissima aeque, ac ad humanitatis studia ditanda aptissima in publicum imperaveris produci. O beatum me! cui* CAROLVS, PRINCEPS RERVM HVMANARVM OPTIMVS, *illud demandare voluit munus. O beatissimum me! ea dexteritate hoc officio si licuisset fungi, ut* TANTI PRINCIPIS *requirit maiestas, et debita* HERO *meo* OPTIMO *pietas postulat; ut, tanta luce res hasce pretiosas me collustrasse, aequi iudicarent arbitri, quantum* CAROLVS, *gloria et dignitate, inter terrarum orbis moderatores exsplendescit; nec curta cum ingenii, tum librarii apparatus supellex probibuisset, quominus partes officii*

mei omnino omnes explerem. Quum vero ea TE *esse*, DVX CELSISSIME, *animi celsitudine, atque aequitate norint cuncti, ut civium*, TIBI *subiectorum, voluntatem potius respicias, quam, quae quisque eorum praestitit; et, quae a pietate proficiscuntur, susceptione prima, non vero perfectione existimes iudicanda: in spem venio minime dubiam et plane exploratam*, TE, PRINCIPEM PIVM *et* IVSTVM, *nec hanc animi*, TIBI *longe subiectissimi, tesseram prorsus esse aspernaturum; licet tantum absit, ut illa omnibus absoluta videri queat numeris, ut tenuis potius, exilis, immo rudis mereatur appellari.*

Hac spe et bonitatis TVAE *fiducia*, TIBI *supplices mecum fiunt Musae mansuetiores. Musae, inquam, illae, quae, ante haec duo, et quod superest, saecula, quum renascerentur, religionem splendori, virtutem dignitati reddebant; hominum autem rectoribus maiestatem, orbi veritatem cunctisque libertatem restituebant, ad* TVA, CLEMENTISSIME DOMINE, *genua manus protendunt supinas. Petunt, me interprete, orantque, ut in potentissima* TVA *tutela retinere velis humanitatis studia,*

mor-

mortalibus adeo ſalutaria, ne calliditate eorum, qui non communia omnium, ſed propria tantum commoda quaerunt, detrimentum faciant, proterantur, ac tandem, quod abſit, ad priſtinum redigantur ſqualorem.

Patere etiam, DOMINE, *ut, priusquam a ſacratiſſimo* TVO *discedam ſolio, in earundem Muſarum conſortio, vota, pro* TVA *incolumitate, nuncupem ſolemniſſima. Vivas,* CAROLE, *valeas diutiſſime, regnes feliciſſime! Faxit ſummi rectoris numen, ut extremos, quibus mortalium vita circumſcribitur, terminos non modo attingas, ſed ſuperes etiam longiſſime; Neſtorumque olim ſaluteris Neſtor, qui cives ſuos nunquam debilitatos, nunquam iacentes, ſemper vero ſalvos ſemperque florentes viderit. Vigentem conſervet mens divina* PROLEM TVAM SERENISSIMAM *amabilitateque florentiſſimam. Suſcipias ex illa non modo nepotes, ſed pronepotes etiam abnepotesque. Videas,* CAROLE, CELSISSIMAE DOMVS TVAE *ſplendorem et decus magis magisque augeri et per cunctas Europae diffundi nationes. Tunc demum, o! Deus, finem imponas* GENTI *huic et antiquitate, et re-*

rum gestarum gloria, et mansuetudine, et virtutibus omnibus eminentissimae, quando tibi placebit, hunc, quem incolimus, orbem, in pristinum statum, quo nihil erat, redigere. Vale, PRINCEPS PIISSIME, FORTISSIME, FORTVNATISSIME; *vale et favere perge homini, qui, ut in* TVO *servitio senescere, immo mori possit, peroptat. Scribebam in Academia Iulia,* TIBI *longe devotissima, ad d.* I. *Februarii* ↀↀCCXXXXII.



INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

Cimeliorum, quae explicare aggredimur, fata nosse, fructuosum. Reperta, ante annos nonnullos, sunt in Aegypto, et quidem in Mumiarum campo, cuius situs et natura describitur. Arabes, vetustatis monumenta pretiosa, lucri cupidine, indagantes, numisma gemmamque nostram ex funere Aegyptii medicato extraxerunt. Illud in loculo, ad latus Mumiae, sepositum, hanc vero ipso cadavere, e regione ventriculi, conditam repererunt Vtrumque vendiderunt viro cuidam illustrissimo, Aegyptum peragranti, a quo in gazam pervenit Maximi Principis, CAROLI, *cuius iussu clementissimo nunc editur.*

CAPVT II.

Numisma nostrum in rarissimorum merito refertur numerum. Regulae quidem generales, ad quas veterum numis iustum statuatur pretium, tradi nequeunt. Sunt tamen certa quaedam atque indubia summae raritatis eorum criteria, quae ad unum omnia in nostro comparent. Ex aere fabrefactum conspicitur Venetiis, in thesauro Petr. Mauroceni. Exstitit etiam Massiliae, in Museo Ioh. Petr. Rigordi. Ornat denique eius exemplum, sed vetustate, maximam partem, exesum, gazam Farnesianam, quod Paul. Pedrusius breviter strictimque descripsit. Exhibetur Pedrusii explicatio notaturque.

CAPVT III.

In numorum veterum pretiis constituendis metallorum nec ignobilitatem, nec praestantiam respiciunt periti. Plumbum, natura sua mollissimum, temporis iniuriae maxime est obnoxium. Numi igitur plumbei, ex vetusto aevo, supersint paucissimi, necesse est. Antinous plumbeus centum

 uncia-

uncialibus aestimatus. Recensentur, qui, monetam plumbeam veteres Romanos habuisse, negarunt, eorumque argumenta refelluntur. Lege Cornelia numaria interdicti non fuerunt numi plumbei. Titulus, quem monetarii affectarunt, A. A. A. F. F. nihil iuvat plumbi veteris osores. Deae monetae typus in numis imperatoriis. Quando eadem trium mulierum figuris adumbrari coepta. Confirmant monetae plumbeae apud Romanos usum Plautus et Martialis. Claud. Chifletius et Ludov. Savotus notati. Aere quidem et ferro argentum miscuerunt Romani, non vero plumbo. Comici veteres cum numis vilibus, publica tamen auctoritate probatis, res contemnendas comparant. Claud. Salmasius refutatur. Plumbum quare nigrum appellarint veteres, indicatur. Sub saeculi demum secundi exitum aereos numos plumbo adulterare coeperunt Romani. Passim in numophylaciis occurrunt numi plumbei, de quorum ingenuitate non dubitant periti. Plumbeorum numismatum, quae Museum Laur. Pignorii ornarunt, usus varius fuit. Numulus familiae Pedaniae plumbeus vindicatur. Neronis numus, in quo Paullini legitur nomen, referendus est vel ad Pompei. Paullinum, vel ad C. Suetonium Paullinum, quorum virorum res gestae strictim enumerantur. Numus Neronis alius, cum imperatoris huius filiae, Claudiae, imagine, affertur. Antinoum plumbeum gazae Molanianae, ob insolitam scribendi rationem, quae in eo observatur, immerito sollicitavit Ioh. Reiskius. Saeculo secundo Sigma modo forma antiquissima Σ, *modo lunata figura* C *pingebatur* Ο ΙΕΥϹ *scriptum pro* Ο ΙΕΡΕΥϹ. *Numi bene multi, monetariorum culpa vitiosi sunt. Franc. Ficoronius, plumbea numismata omnia loco tesserarum, in ludis publicis, fuisse adhibita, perperam contendit. Nostri numi plumbei sinceritas et in commercio usus demonstrantur.*

CAPVT IIII.

Numismatum pretia augentur usu, quem, praeter ordinarium, extra commercium habuerunt. Numus, Augusti et M. Agrippae capitibus insignis atque in Nemausensi colonia cusus, pro tessera inter amicos absentes olim usurpatus. Plumbeus noster Mumiae, cui fuit adiectus, usum praestitit peculia-

culiarem. Sepelire cum mortuis nummulum solebant, exceptis Hermionensibus, Graeci universi, Romani, Galli, Aegyptii et Christiani cum primaevi, tum etiam recentiores. Vocabatur sepulcrale illud numisma aes, πορθμήϊον, τὰ πορθμία, ναῦλον, naulum. *Subinde dicebatur* δανάκη; *cuius vocabuli origines non in Persia, sed apud Macedones, quaerendae. Apud Suidam audit* καρκάδοντα; *cuius vocabuli, eruditorum iudicio, male sani, emendatio tentatur. Galli veteres talem numum dari dicebant* ISPORON, *aut* ISTILLV; *quae voces obscuriores explicantur. Iac. Martini de illorum significatione sententia improbatur. In Graecia istiusmodi numisma obolum valebat. Nisaeensium numus illustratus. Romani suorum cadaveribus trientem iungebant. Aristophanes et Apuleius explicati. Nat. Comes et Ant. Bannierius castigati. Illud numisma in os cadaveris indebatur, simulac anima abiisset, post combustionem in urnulam sepulcralem iniiciendum. Alias mortuo, qui humandus, in manum dabatur dextram. Affigebatur subinde monumenti sepulcralis parieti, aut in ipso deponebatur capulo. Veteres ferme omnes perhibent, numum mortuo fuisse dandum, ut Charontis remunerari is posset laborem. Aliter sensisse videtur ritus istius auctor. Alii in Aegypto rei huius quaerunt originem, quam vero antiquorum doctrinae de anima, post mortem, variis utensilibus et argento opus habente, debet. Vestimenta, arma et alia cum mortuis cremata, vel sepulta. Canes, equi, mancipia et concubinae ad bustum iugulabantur. Pecunia quoque bene multa tumulis condita. Hinc fabula de naulo, Charonti solvendo, nata. Plumbeus noster funeri medicato adiectus, ut Stygio portitori cederet, simulque chronologicus esset character imperatoris, sub quo Aegyptius ille obiit.*

CAPVT V.

Anterior numismatis nostri pars describitur. Tituli Αὐτοκράτορος, *Imperatoris, Caesaris et* Σεβαστοῦ, *sive Augusti, orbis Romani dominis proprii, strictim explicantur. Hadriani nomen, etiam sine aspiratione, cum olim scriptum, tum hodie recte scribitur. Eundem imperatorem dicunt semper capite fuisse aperto. Duplex Ioh. Harduini commentum explodi-*

ploditur. Corona laurea primum triumphantium fuit gestamen; deinde vero principatus insigne. Imperatrices quaedam laureatae. Quare imperatores, in numis, nunc laurea sint cincti, nunc vero eadem careant, expenditur. Comam calamistratam mollitiem indicare et lasciviam, veteres crediderunt. Hadrianus et timidus, et libidinosus. Capillos, ita tegentes frontem, ut ad supercilia usque defluant, denotare animum, singulari immanitate praeditum, tradunt physiognomi. Hadrianus natura saevus et crudelitate infamis. Caput plus in occiput, quam sinciput prominens memoriam admirabilem atque ingenii vim singularem prodit. Vtraque animi dote instructus fuit Hadrianus, qui etiam omnes ferme artes est complexus, et earundem quasdam scriptis perpolivit. Oculi sublati significant animum, ad arrogantiam pronum. Hadrianus, superbia intolerabilis, primus imperatorum barbam aluit.

CAPVT VI.

Partes numismatum antiquorum aversae saepius intellectu difficiliores. Hinc numi dicti aenigmata; quo nomine Aegyptiaci inprimis sunt appellandi. Icuncula, in numismatis nostri postica, ad latus dextrum, constituta, cuiusnam sit, inter viros eruditos non convenit. Repraesentat autem Canobum, deum. Quare illud numen hydriae figura Aegyptii adumbraverint, sententia Abenephii, Arabis, sed nugatoris, ac forte ab Athan. Kirchero conficti. Quae Suidas et Rufinus de Canobi victoria, ab Igne, Chaldaeorum deo, reportata, perhibent, merito fabulis annumerantur. Thom. Stanleii et Petr. Iurieu error notatus. Canobi imago, ex superstitiosorum opinione, paratum ad incendia exstinguenda remedium. Sub Christianismi primordia labascentem superstitionem suffulcire studebant sacrificuli narratiunculis de numinum suorum pôtentia et miraculis. Gemma, in qua Canobus ignem conculcat, explicata. Hostium calcare cervicem, *veteres dicebant pro* plena potiri victoria. *Chaldaei an ignem adoraverint, addubitatur. Idololatrae antiqui haud videntur flagrasse cupidine religionem suam propagandi. Canopum, Menelai. Spartani, gubernatorem, in Aegypto fatis perfunctum, urbi homonymae nomen dedisse,*

et

et pro deo esse adoratum, Graeci, sua adducti vanitate, fabulantur. Incertum est, utrum Menelaus, Laconum princeps, Aegyptum unquam adierit, nec ne. Veteres Aegyptii alienigenas homines summopere aversabantur. Nomi Menelaitici, in quo urbs Canobus sita, appellatio a Menelao, Ptolemaei, Lagi filii, fratre, tracta. Verosimilior Aristidis relatio de origine numinis Canobici adducitur et vindicatur. Canobus, vi vocis, significat χρυσοῦν ἔδαφος, aureum solum. Aurea *vocabant prisci homines, quae, in suo genere, praestantissima. Ager Canobicus fertilissimus, eiusque habitatores voluptatibus deditissimi; unde* Canobismus *in proverbium abiit. Sub Canobi, dei, figura ipsa civitas cognominis culta. Prisci homines urbes, imaginibus symbolicis consecratas, divinis prosecuti sunt honoribus; cuius moris ratio et exempla complura afferuntur. Ioh. Harduinus, dubitans, an unquam oppidum, Canobi nomine appellatum, in Aegypto antiqua exstiterit, refellitur.* Canobus, *per b, non* Canopus, *per p, scribendum. Canobicum numen, hydriae forma, cui virile impositum caput, repraesentarunt Aegyptii, quoniam eiusdem nominis urbs, sub istius imagine adorata, in ipsa Nili exstructa erat ripa. Situs huius oppidi, ad veterum fidem et ex Bened. de Maillet coniecturis, describitur. Hydria Aegyptii veteres hieroglyphice Nilum designarunt. Aqua Nilotica, quae, sua natura, turbida et tepida est, peculiaribus urnis, hodienum, et limpida redditur, et refrigeratur. Nilum contra ignis vastationem munire patriam suam, docebant Aegyptii vetustiores. Inde natae sunt fabulae de numinis Canobici, in cohibendis incendis, potentia, et triumpho de Chaldaeorum igne acto. Nili ostia, ob scopulorum breviumque frequentiam, sine naufragii periculo, nemo, nisi qui peritum viarum nactus est ducem, ingredi potest. Quoniam cives Canobici in disciplina navali erant versatissimi, iisdemque advenae naviculatoribus utebantur: Canobus, deus,* gubernatoris *accepit cognomen. Alae, quas numen illud subinde in capite gerit, navium Canobicarum indicant agilitatem. Navium vela olim designabantur vocabulo alarum, quae summae velocitatis symbola. Hinc concluditur, numisma nostrum non alius, quam Canobicae civitatis iussu esse signatum. Mos veterum Aegyptiorum in numis suis patria tantum numina repraesentandi compluribus exemplis firmatur.*

***

CAPVT

CAPVT VII.

De altera lateris aversi icuncula, cuiusnam illa sit, magnopere dissentiunt antiquarii. Patini explicatio improbata. Perperam quoque, imagunculam esse Eumenathidis, Canobi, Menelai gubernatoris, uxoris, censuit Nicasius. Nihilo verosimilior de eius significatione Pedrusii opinio. Repraesentari illa potius Isidem, insignibus, huic deae propriis et in numo nostro obviis, evincitur. Isis, numini Canobico iuncta, indicat, plumbeum nostrum a Canobitis Aegyptiis, non vero Africanis, esse cusum. Superstitiosos olim integras quoque regiones, imaginibus symbolicis consecratas, adorasse, exemplis compluribus probatur. Sub Isidis simulacro Aegyptii patriam suam sunt venerati. Deam hanc nihil esse aliud, quam terram, eiusque nomen, apud Aegyptiacè loquentes, terram *sonasse, prisci auctores testantur. Hinc coronam turritam, aut bovis cornua in capite gestat.* Terrae *vocabulo veteres saepissime patriam tantum suam denotarunt. Aegyptus* הארץ *et* ἡ γῆ, *a sacris profanisque scriptoribus, appellatur. Isis non universam, sed Aegyptiacam modo terram adumbravit. Nilus, quoniam, quum extra alveum transfunditur, maximam Aegypti partem inundat, mare appellatur. Inde Isis Pelagia quondam dicta. Gemma thesauri Regis Borussorum Potentissimi nova collustratur luce. Aegyptii, primi fortassis rei nauticae inventores, scientiam hanc excoluerunt; eaque propter inter Isidis insignia navigium comparet. Eandem ob caussam haec dea numinibus navigantium tutelaribus videtur adscripta. Vela Aegyptiaca veteres maximi aestimabant. Hinc Isis velificia dicitur invenisse, eidemque alae affinguntur versicolores. Navium vela apud antiquos picta esse solebant. Osiridis et Isidis coniugium prognatusque ex eo Orus significant, Nilum agros Aegyptiacos fecundare. Quoniam Aegyptus frumento feracissima, Isis nunc spicea corona conspicitur redimita, alias vero calatho caput habet tectum. Eadem regio omni ciborum genere et gulae deliciis abundat, eamque ob caussam Isis Fructifera cognominata. Biga marmorum antiquorum explicata. Isis Fructiferus. Deos utriusque sexus participes fingebant superstitiosi. Aegyptum Italiae aliarumque regionum incolis panem praebuisse, significatur multimammiae Isidis imaginibus. A summa regionis huius ubertate xylini, ex quo vestimenta conficiebantur sacerdotum, virorum honoratiorum et delicatulorum, Isidis Linigenae titulus est tractus. Aegypti,*

flo-

floribus semper propemodum ornatae, varium, pro anni tempestatum diversitate, aspectum vestes Isidis coloribus multis variegatae, intertextis floribus compluribus, indicant. Ob magnam viperarum in Aegypto copiam Isidis simulacra serpentibus sunt circumdata, aut coronata aspidibus. Hoc ornatu moti videntur, qui Isidem inter Eumenides recensuerunt. Ibis, Aegypto propria avis, agros serpentibus purgat, eamque ob rem frequenter inter Isidis ornamenta conspicitur. Aegyptios corpore fuisse salubri et longaevos, contra Herodotum et Isocratem, negatur. Frequentissimi in Aegypto sunt scroti pedumque tumores, oculorum morbi, exanthemata, pestilentia aliaeque infirmitates; quos, quoniam ex huius regionis indole oriuntur, Isidem iratam immittere perhibebant sacrificuli. Aegyptus complures profert herbas salutiferas, eiusque pristinis habitatoribus prima medicae artis gloria debetur. Apud eos singulis morbis peculiares medebantur medici; unde horum maximus in Aegypto antiqua numerus. Isis medicinae credita inventrix et Salutaris appellata; eidemque vota, in morborum periculis, facta ac deinceps persoluta. Praeter civitatem Aegypti Canobicam alia eiusdem nominis urbs in Africa floruit, cuius situs describitur. Ibidem exstitit quoque oppidum Canopitanum. Consuetudo veterum urbes suas patrias ab aliis oppidis homonymis, in aere suo, et quidem variis modis, distinguendi exemplis quibusdam confirmatur.

CAPVT VIII.

Templum, in nostro signatum nummo, illud repraesentat, in quo Canobitae urbis suae adorarunt symbolum. Canobus, deus, cur a Graecis Neptunus appellatus? Eustathius refutatur, indicanturque variae vocis τέμενος significationes. In hoc fano Canobus oracula edebat aegrotique, medicinae caussa, solebant incubare. Canobico numini titulus Serapidis adscriptus. Patrios potius deos, quam peregrinos consulebant veteres. Serapidis oraculum Alexandrinum. Hodieque nonnulla Canobi superesse responsa, adversus Athan. Kircherum negatur. Templum Canobicum ut discendi patuit officina. Docuit in eo Antoninus, philosophus Platonicus. Iam antiquissimis temporibus ibidem adolescentes erudiisse videntur sacrificuli. Scholas, apud orientales, a locis sacris non seiunctas, aut saltem in eorum exstructas fuisse vicinia, exemplo evincitur Iudaeorum, a quibus morem illum vetustiores Christiani acceperunt. Eandem consuetudinem servarunt Aegyptii antiquissimi. Canobica Academia admodum celebris fuit. Kircherus iterum notatus. Hadrianus Imp. in

villa

villa Tiburtina quare Canobum aedificaverit? Canobi templum structurae elegantia conspicuum. Cuncta Aegyptiorum delubra erant magnifica. Canobi aedem cur monetarius duarum tantum columnarum finxerit? Templa, in suprema frontispicii parte, Aegyptii exornabant globo alato; cuius symboli explicatio Kircheriana ingeniosa quidem, sed veritati minus similis. Theodosio M. imperante Canobi templum direptum est soloque aequatum.


CAPVT VIIII.

De littera L, *in numis Aegyptiacis exhibita, singulare opus promisit Nic. Toinardus. Fortun. Liceti perabsurda huius elementi interpretatio exploditur.* L *non litteram esse, sed notam, a Grammaticis* διπλῆς, *sive* circumductionis *nomine designatam, contendit Is. Casaubonus; qui vero refellitur. Ios. Scaligeri sententia, littera* L *lustrum significari, reiecta. Antiquarii plerique arbitrantur, eam desumtam esse ex* λυκάβας. *Littera* L *loco* Λ *apud Graecos antiquiores usurpata. Vocabuli* λυκάβας, *annum sonantis, origo est admodum obscura. Horum quoque opinio in ambiguis ponenda. In sententia Henr. Norisii, existimantis,* L *notam esse compendiariam, qua Astronomi Aegyptiaci annum indicaverint, varia desiderantur. Cusus est plumbeus noster anno Hadriani non vitae, sed imperii decimo octavo. Rationes, cur Aegyptii plures, in Hadriani, quam aliorum imperatorum, honorem numos cudendos curaverint, expromuntur.*

CAPVT X.

Gemmae nostrae genus, forma et magnitudo indicantur. Insculptam illa habet amphoralem Isidis imaginem. Non eum in finem intra Mumiam est insuta, ut hanc tutaretur. Varia, quae in medicatis Aegyptiorum funeribus, circa ventriculum, inveniuntur, utensilia artes designant, quas quisque eorum in vita est professus. Probabile igitur, cadaver, in quo gemma nostra reperta, sculptoris esse. Sculptura ab Aegyptiis, iam antiquissimis temporibus, inventa, ac deinceps summa dexteritate exculta. Multi olim in Aegypto hoc opificio victum invenerunt. Non litteris obsignandis, sed annulo magico, sive medico, gemmam nostram destinasse videtur artifex. Annulos veteres gestabant magicos, alios ad ignem cohibendum, alios ad tempestates avertendas quosdam ad averruncandos morbos. Vltimi generis annulo nostram gemmam fuisse inserendam, probabile est.

CAPVT I.



CAPVT I.

Cimeliorum, quae explicare aggredimur, fata nosse, fructuosum. Reperta, ante annos nonnullos, sunt in Aegypto, et quidem in Mumiarum campo, cuius situs et natura describitur. Arabes, vetustatis monumenta pretiosa, lucri cupidine, indagantes, numisma gemmamque nostram ex funere Aegyptii medicato extraxerunt. Illud in loculo, ad latus Mumiae, sepositum, hanc vero ipso cadavere, e regione ventriculi, conditam repererunt. Vtrumque vendiderunt viro cuidam illustrissimo, Aegyptum peragranti, a quo in gazam pervenit Maximi Principis, CAROLI, *cuius iussu clementissimo nunc editur.*



Duo sunt, ut titulus docet, pulcerrima venerandae vetustatis monumenta, alterum ad numismatographiam spectans, alterum vero ad glyptographiam, quae, pro modulo ingenii no-

A stri

ſtri modico et pro noſtra rerum antiquarum cognitione, quam non diſfitemur eſſe mediocrem, hac qualicunque ſcriptione conamur explicare. Prius vero, quam ipſi huic operi admoveamus manum, utriusque cimelii fata ſtrictim, et ea quidem ratione, enarrabimus, ut pateat, primum, ubinam terrarum ſit repertum; poſtea, quorum opera ex tenebris, in quibus tot ſaecula delituit, in lucem ſit vindicatum; deinde, cui inſervierit uſui; ac denique, qua ratione in oras hasce noſtras pervenerit. Erit haec disputatio lectoribus, ut ſperamus, grata non minus, quam fructuoſa; nec parum utilitatis praebebit mihi, horum monumentorum illuſtrationem tentanti. Illi enim, qui, quemadmodum manſuetiores Muſas diligunt, ſic antiqui orbis reliquiis oculos mentemque ſolent paſcere, hinc, ſtatim in limine, intelligent, quantae raritatis cimelia ipſis exhibeamus contemplanda. Praeterea, quum harum rerum notitia nos ad varias coniecturas capiendas duxerit: illud nobis afferet commodum, ut antiquitatum cultores huic noſtrae quicquid eſt opellae iuſtum ſtatuere queant pretium, atque iudicare, num acu rem tetigerimus. Patriam haec cimelia habent Aegyptum, regionem tam ſuperſtitione, quam artium propemodum omnium ſollerti cultura olim nobilitatam: unde hodienum in viſceribus ſuis recondit innumerabilia ferme vetuſtatis rudera eximia, et ad litteras politiores ditandas, immo ad univerſum ſcientiarum divinarum humanarumque campum non modo exornandum, ſed mirifice etiam amplificandum apprime facientia; quae eruditi peregrinatores, praecipue autem hodierni eius incolae, hi quidem ſola lucri cupidine ducti, ſed maximo rei eruditorum publicae commodo, indagant, atque in lucem ſtudent vindicare. Eidem avaritiae profundae acceptas referimus hasce noſtras priſci orbis reliquias, quippe quas Arabes, quorum ingens multitudo ſuperioris Aegypti agros ſolitudinesque inhabitat, ex veteri monumento ſepulcrali protraxerunt. Eſt nempe ab hodiernae Aegypti urbe principe, *Cairo*, ſ. *Al-Cairo*, vel, ut loquar rectius, a vico non adeo modico, *Manof* appellato, qui, ut ipſum nomen prodit, rudera continet *Memphis*, regum Aegypti vetuſtiſſimorum ſedis, non longe remota et proxime Nili divor-

tium

tium sita planities, arenis subtilissimis ita referta, ut inde sabulosi maris appellationem, nec immerito, acceperit; *hae siquidem arenae*, ut verbis ATHANAS. KIRCHERI (a) utar, *ventis concitatae, tam saevas subinde tempestates movent, ut arenis, in clivos aggestis, turbinum violentia, et iumenta, et viatores, una cum mercibus suis, nulla evadendi spe relicta, vivos sepeliant;* et Cambysis, Persarum regis, exercitum, quem adversus Ammonios ducebat, universum, teste HERODOTO (b), obruerunt. Initium capit solitudo haec vasta a ripa Nili occidentali, s. a pyramidibus tribus, quarum moles admirandas, prope pagum *Manof* exstructas, et veteres inter mundi miracula numerarunt, et etiam nunc omnes obstupescunt. Inde, iuxta lacus Moeridis littora septentrionalia, occidentem versus, per quatuor milliaria procurrens tribus aliis pyramidibus, quibus vero modo memoratae tam magnitudine, quam celebritate multum antecellunt, terminatur; sic, ut totus deserti huius ambitus contineatur duodecim circiter milliaribus. Arenosissimam hanc esse planitiem dum diximus, id tantum voluimus indicare, superficiem eius tegi sabulo, quinque, aut sex pedum altitudine; quandoquidem, eo remoto, rupes alta et vasta conspicitur. Veteris Aegypti colonos μετεμψυχώσεως admisisse dogma credidisseque, animas, post aliquot annorum millia, corporibus restitutum iri pristinis, cum historiae pater (c), modo laudatus, testatur, tum pluribus docet ATHAN. KIRCHERVS (d). Vt igitur anima quaevis habitaculum suum fartum tectum olim inveniret, Aegyptii suorum cadavera non modo artificiose pollingebant, pollincta involvebant lino subtili, et notis hieroglyphicis depicto, involutisque idola, veluti praeclaros custodes, addebant, sed etiam haud alibi, quam illis in locis sepeliebant, ubi eadem nec aëre, aqua caloreque corrumpi, nec animalium hominumque iniuria posse corrodi, arbitrabantur. Erat praeterea haec natio laboriosissima, atque eiusmodi libenter

(a) *Oedipi Aegyptiaci* syntagm. 13. cap. 2. Tom. III. p. 397.

(b) In *Thalia*, cap. XXVI.

(c) In *Euterpe*, cap. CXXIII.

(d) *Loc. citat.* cap. 1. pag. 387. sqq.

benter suscipiebat operas, quibus nominis gloriam, cum perpetuitate demum consummandam, se esse impetraturam, qua erat vanitate, sperabat. Quemadmodum itaque animadvertebat, in campo isto, Nili exundationibus haud obnoxio, et sub illa petra tutissima fore cadavera; rupem vero, sabulis subiectam, non sine labore stupendo posse exscindi: sic ibi, pro funeribus suorum reponendis, fornices fecit subterraneos, variis concamerationibus, veluti ingentibus aulis, distinctos, atque tam multiplicibus ambagum viarumque gyris intricatos, ut antrum rupes evaserit propemodum inextricabile. Solemne est Persis Arabibusque, corpus pollinctum designare موميا, vel etiam مومي, vocabulo, quod viri, rerum orientalium peritissimi, SAM. BOCHARTVS (e), IAC. GOLIVS (f), BARTHOL. HERBELOTVS (g), IOH. CHARDINVS (h) aliique ab Hebraeorum מום, *cera*, derivatum esse, propterea censent, quoniam veteres corpora, quae a corruptionis vindicare volebant labe, cera suerunt obducere. (i). Atque a numero Mumiarum maximo, qui hodieque ibi reperitur, planities illa, saepius memorata, Arabibus dicitur *Mumiarum campus*, de cuius situ, natura atque usu quae hactenus sumus commentati, ne quis vana fictaque credat, testamur BENED. DE MAILLET, qui, quum per sedecim annos, summa cum auctoritate, in Aegypto vixerit, huiusque regionis miranda et antiquitates incredibili studio et sollertia indagaverit, testis existimari debet omni maior exceptione. Sic autem ille (k): „De cette Memphis autrefois si fameu„se et si considérable à peine reste-t'il assez de traces, pour pouvoir „nous assurer de sa véritable position. Sans les Pyramides que le tems „a respectées, nous ignorerions aujourd'hui où étoit située cette anci„enne Capitale de l'Egypte. On trouve cependant encore vis-à-vis du „lieu, où elle a été bâtie, et sur les bords du Nil, un bourg, ou gros „village, qui porte son nom, et s'appelle *Manof*, terme composé des mê-

mes

(e) *Hierozoici* Part. II. lib. IIII. cap. 12. pag. 531.
(f) In *Lexico Arabico*, pag. 2279.
(g) *Bibliotheque orientale*, voce, *Moumia*.
(h) *Itinerarii per Persiam aliasque orientis regiones* lib. IIII. pag. 40.
(i) Confer litteratissimi Medici, IOH. HENR. SCHVLZII dissert. *de Mumia* §. VI.
(k) *Description de l'Egypte*, pag. 275. sq.

„mes lettres Arabes, qui forment celui de Memphis, à la réſerve de „l'i et de l's, qu'on a ſupprimés. Ce bourg donne ſa dénomination à „tous les lieux circonvoiſins, que nos François appellent la *Menoufie*, „ou la province de Manouf, dont celle de Fioum eſt dépendante. Vis-„à-vis ce bourg de Manof, en tirant vers l'Oueſt, eſt ſituée la plaine „des Momies, joignant par ſon Nord aux Pyramides méridionales, „qui ſont une ſuite du cimetiere que les habitans de Memphis avoient „de ce côté-là; plaine fameuſe par le grand nombre des Momies qu'on „a tiré dans ces derniers tems des canaux ſouterrains qu'elle contient „ſous les ſables, dont elle eſt inondée, et par le nombre encore plus „grand de ces corps embaumés qu'elle renferme. Cette plaine eſt ron-„de et platte, et peut avoir quatre grandes lieues de largeur, ou de „Diamétre; en ſorte qu'on peut aſſurer qu'elle a plus de douze lieues „de tour. Son fond eſt un rocher très plat, qui autre fois a été cou-„vert par les flots de la mer, et qui ſe trouve caché aujourd'hui ſous „cinq à ſix pieds de ſable.„ In ſequentibus MAILLETVS copioſe de-ſcribit cum methodum, in rupe hac exſcindenda adhibitam, tum cry-ptarum ſtructuram, tum etiam labyrinthi huius eiusque concameratio-num exhibet ichnographiam: quae ſingula vero apud ipſum legi ma-lumus viderique, quam hic repetere; quandoquidem ad rem noſtram haud ita faciunt; atque in medium allata ſatis dilucide, ubinam terra-rum cimelia noſtra ſint reperta, declarant. Tenent autem, quem mo-do deſcripſimus, Aegypti locum, Arabes; qui ipſi ſunt, quibus referi-mus acceptum, quod has priſci orbis reliquias contemplari nunc poſ-ſumus. Eminet in gente illa auri ſacra fames, qua exſtimulata divitias modis omnibus, ſive liciti fuerint, ſive illiciti, corradere allaborat. Gnari igitur Arabes, inter Europaeos bene multos artis ſalutaris ma-giſtros atque antiquarum rerum ſtudioſos reperiri, qui Mumiis offi-cinas Muſeaque cupiant exornare: lucri ſpe certiſſima incitati illud Ae-gyptiacum coemeterium, draconis Aeſopici inſtar, cuſtodiunt. Nemi-ni, niſi qui pecuniae ſatis ſolvit, ad hypogaea illa aditum recludunt: nec facile alia, quam plebeiorum hominum cadavera, quae a ditiorum

Mumiis didicerunt ſecernere, vendunt. Longo rerum uſu maiorumque ſuorum obſervationibus edocti norunt, Mumias, duplici incluſas capulo, aut quarum ſandapilae variis coloribus aliisque ornamentis ſplendent, beatiorum eſſe hominum, atque icunculas aureas, lapides pretioſos et alias magni pretii merces continere; quibus deliciis ut potiantur, funera illa medicata perſcrutantur ſollicite, et quicquid inveniunt ſeparatim, et cariſſime quidem, peregrinatoribus curioſis vendunt. Nituntur haec omnia fide partim viri perilluſtris, qui hisce cimeliis noſtris terras Brunovicenſes ditavit, partim vero MAILLETI, cuius verba non piget apponere (1): „On a trouvé quelques unes de ces caiſ-„ſes avec des yeux de verre, par où ſans ouvrir le cercueil on pou-„voit voir le corps de la Momie, qui y étoit renfermée. On en a ren-„contré d'autres, qui étoient doubles, c'eſt-à-dire où une caiſſe ſe trou-„voit renfermée dans une autre; ce qui fait juger que la premiere „contenoit ſans doute le corps de quelque perſonne de diſtinction. „Comme on a vû en France pluſieurs de ces caiſſes, et des Momies „qui y étoient renfermées, je ne m'arrêterai point à en faire ici la de-„ſcription. Je remarquerai ſeulement, qu'il eſt très rare qu'on ait ja-„mais eu le corps propre d'une belle caiſſe, parceque les Arabes, qui „les découvrent, ne manquent jamais de mettre en piéces ces ſortes „de corps, dans l'eſperance d'y trouver quelque petite idole d'or, ce qui „en effet leur arrive ſouvent „ etc. Recte ſcripſit eruditus ille Gallus, rarenter admodum fieri, ut quis integram hominis divitis nanciſcatur Mumiam: iſtiusmodi vero funera haud ſemper frangere Iſmaëlis nepotes, exemplo poſſumus docere. Arabes enim ante annos haud ita multos coemeterii, ſupra deſcripti, cryptam quandam ingreſſi arculam conſpicabantur, quae pulcritudine, qua inter ceteras eminebat, res pretioſas inveniendi ipſis ſpem faciebat, quam haud vanam fuiſſe, eventus docuit. Remoto enim operculo cadaver apparebat eleganter admodum conditum, quod, qui viderunt, hominis eſſe iudicarunt, circa annum aetatis vigeſimum fatis perfuncti, cui anguſtam domi non fuiſſe

(1) Loc. citat. pag. 277.

isse supellectilem, utensilia, quae partim in sandapila separatim deposita, partim corpore ipso inclusa erant, planum fecerunt. Ad alterum nempe funeris huius medicati latus icuncula cernebatur, si recte meminimus, aurea, quatuor pollicum longitudine; illis non dissimilis, quas LAVR. BEGERVS (m) explicat sigillaque appellandas esse censet prophylactica, ostendens, istiusmodi imagines Aegyptios antiquos collo brachiisque alligatas gestasse, atque etiam funeribus adiunxisse, quod, contra malorum eventus valere, sibi persuaserint. Iuxta hanc icunculam iacebat numisma, quod, sollerti artificis manu, quam accuratissime in aes incisum, huius commentationis frontispicium exornat, atque in sequentibus copiosius explicabimus. Hinc Arabes in spem adducti, fore, ut complura istius generis cimelia ipsum condat cadaver, fasciolas, quibus, more solito, erat constrictum, removent, iisque remotis, e regione ventriculi, papyro, inaurata variisque litteris hieroglyphicis exornata, involutam reperiunt gemmam eam ipsam, de qua in fine huius libelli uberius disserendi habebimus locum. Hisce spoliis onusti Arabes in lucem prodeunt, atque auream imagunculam, nescio cui, vendunt; quae adeo perinde, ac papyrus, modo memorata, quonam pervenerit, ignoratur. Mumiam vero ipsam non ita multo post, numerata pecunia, suam fecit vir gentilitiarum imaginum splendore dignitateque illustrissimus, qui, licet Minervam, non ut deam optimarum artium, sed ut belli praesidem colat, tamen discendi et eruditae antiquitatis rudera visendi ardore nobilissimo, et nunquam satis laudando, incitatus, remotas etiam regiones perlustrabat atque tunc in Aegypto commorabatur. Soluto, quod pro Mumia numerandum erat, argento, iterum aderant Arabes atque venum offerebant numisma, una cum gemma: quae cimelia redimere eo minus dubitabat vir ille illustrissimus, quo magis fructuosa ea fore videbat litteris amplificandis. Idem ex orientis partibus redux, anno abhinc tertio, ad splendidissimam aulam Guelphicam quum accederet, SERENISSIMVM AC CELSISSIMVM PRINCI-

(m) *Thesauri Brandenburgici* Vol. III. pag. 309. sq. Conf. ATHAN. KIRCHERVS *loc. cit. syntagm.* XVII. cap. 1. pag. 487. sqq.

CIPEM AC DOMINVM, DOMINVM CAROLVM, DVCEM TERRIS BRVNOVICO LVNEBVRGENSIBVS IMPERANTEM, PRINCIPEM PIVM, FELICEM, MAXIMVM, divinamque eius familiam auguſte veneraturus: antiquariam hanc ſupellectilem, antiquae fidei pignus, demiſſiſſima manu ad pedes advolvit ANTONIAE AMALIAE, PRINCIPIS, TOTO ORBE AC FELICITER VIRTVTE SVA CELEBRANDAE; quae eandem paullo poſt in gazam, CAROLI, PRINCIPIS INCOMPARABILIS, curavit inferendam; quod noverat, hunc FILIVM ipſius SERENISSIMVM, domeſticis glorioſiſſimae memoriae heroum exemplis exſtimulatum, Muſas manſuetiores habere in deliciis atque veterum elegantia et memoria ſe oblectare. Hic vero PATRIAE PATER LONGE OPTIMVS uti litterarum diſciplinas omnes, et in his praecipue politiores, niſu cum maximo, tum ſempiternae gloriae commendando, tuetur atque ornare, ornatasque augere ſtudet; ſic ſplendida illa antiqui orbis monumenta in lucem protrahi atque in rei eruditorum publicae commodum iuſſit explicari. Cui mandato, quo HERVS CLEMENTISSIMVS me, ſervum ipſi ſubiectiſſimum, beare placuit, alacriter, ut fas eſt, ſatisfacturus, utrumque cimelium hac commentatione deſcribam deſcriptumque *ut potero*, verba ſunt CICERONIS (n), *explicabo: nec tamen quaſi Pythius Apollo; certa ut ſint et fixa, quae dixero: ſed ut homunculus unus e multis, probabilia coniectura ſequens. Vltra enim quo progrediar, quam ut veri ſimilia videam, non habeo: certa dicent hi, qui et percipi ea poſſe dicunt, et ſe ſapientes eſſe profitentur.*


(n) *Quaeſtionum Tuſculanarum* lib. I. cap. 9.



CAPVT

CAPVT II.

Numisma nostrum in rarissimorum merito refertur numerum. Regulae quidem generales, ad quas veterum numis iustum statuatur pretium, tradi nequeunt. Sunt tamen certa quaedam atque indubia summae raritatis eorum criteria, quae ad unum omnia in nostro comparent. Ex aere fabrefactum conspicitur Venetiis, in thesauro Petr. Mauroceni. Exstitit etiam Massiliae, in Museo Ioh. Petr. Rigordi. Ornat denique eius exemplum, sed vetustate, maximam partem, exesum, gazam Farnesianam, quod Paul. Pedrusius breviter strictimque descripsit. Exhibetur Pedrusii explicatio notaturque.



Numisma, quod interpretando explanabimus, atque materia plumbeum, crassitudine calami scriptorii, magnitudinis vero mediocris est, tanti arbitramur esse aestimandum, ut numis longe rarissimis censeatur rarius. Immo, quum, in suo genere Phoenicem esse, cognoverimus: parum abest, quin ipsis Othonibus aereis Pescennianisque numis, quos rerum gnari argento enormi solent redimere, anteponamus. Si quid est in perutili arte numismatica, quod vix ac ne vix quidem ea ratione potest pertractari, ut omnia manifesta fiant, nec dubii remaneat quicquam: illud profecto est caput, quod de pretio, veterum auro, argento aerique statuendo, exponit. Quam summam difficultatem, tantum abest, ut eant infitias artis huius nobilissimae doctores exercitatissimi, ut potius fateantur eam atque etiam profiteantur. *De nummorum quidem pretio,* scribit ANDR. MORELLIVS (o), *nihil certi statui, aut definiri potest, sed ab emtoris impetu et ardore, quo in nummos fertur, ei modus statuitur; facultates etiam a quovis expendendae sunt; tum et pro occasionis, regionis, temporis et necessitatis ratione istud differt.* Nec aliter sentit EVCHAR. GOTTLIEB RINCKIVS,

 quo

(o) In *Specimine universae rei numariae antiquae*, pag. 18.

quo, iudice ANSELM. BANDVRIO (p), adhuc nemo, quae ad numorum veterum perfectam ſpectant cognitionem, diligentius recenſuit, aut explicavit dilucidius. Hic enim iuris interpres, et litterarum, et antiquitatis bene peritus, oleum perdere pronunciat (q) atque operam omnem, qui numorum raritatis doctrinam ſub regulam velint redigere, qua ſe includi patiatur minime. Non rarenter enim, atque ex improviſo, in lucem protrahi iſtiusmodi flores ſignatos, antea vel rariores, vel penitus incognitos; unde fiat, ut numi complures, patrum noſtrorum memoria, inter gemmas propemodum enumerati, hoc aevo inter quotidie obvios referantur. Equidem aut fallor egregie, aut non deerunt, qui, quod hisce magiſtris didicerunt, perdifficiliter de uniuscuiusque numiſmatis antiqui raritate poſſe exiſtimari, nos temeritatis haud condonandae poſtulaverint, quid? damnaverint illico, quum legent, nos adeo magnifice de plumbo noſtro ſentire, ut confidenter decernamus, illud rariſſimis ſi minus anteferendum, at ſaltem eſſe aequiparandum. Sed hi fere erunt, qui, ſacris antiquariis nuper admodum initiati, arbitrabuntur, quum de numorum, vetuſto aevo cuſorum, raritate regulas nemo tradere queat generales, et, ſingulorum numiſmatum pretium accurate definire, res ſit admodum lubrica, omnia incerta hic eſſe atque quam maxime ambigua. Hos vero experientia, optima rerum magiſtra, olim ſi edocuerit, ditiorum gazophylacia percenſentes ſubinde contemplari numiſmata, albis rariora corvis (r),

- - *nigroque ſimillima cygno*;

agnituros, ſperamus, nos, nequaquam affectu pravo, aut inconſiderantia, ſed ratione potius adductos, maximi plumbeum noſtrum aeſtimaſſe. Quod ſi enim, nemine diffitente, ipſo obryzo longe cariores habendi ſunt numi, qui, inde a renatis, felici ſidere, litteris, ad hanc usque aetatem, etiam in potentiſſimorum maximorumque regum et principum gazis ditiſſimis, vix ſemel atque iterum occurrerunt elegantioribus formo-

(p) In *Bibliotheca numaria*, pag. 141. edit. Fabrician.

(q) In *Lucubratione de veteris numiſmatis potentia et qualitate etc.* cap. XXI pag. 177.

(r) IVVENALIS *ſatyra* VI. v. 165.

mosissimae antiquitatis spectatoribus; si porro numismata, ex viliori plumbi metallo conflata, quotquot eorum genuina sunt, lapidibus pretiosis, omnium iudicio, existimantur pretiosiora; si praeterea usus, quem numus aliquis extra ordinem commerciumque habuit, eiusdem pretium ingenti adauget cumulo; si denique longe rarissimis carissimisque ille meretur anteponi, in quo universa, hactenus recensita, summae infrequentiae criteria deprehenduntur: numus profecto noster illis, iure optimo, accensetur, qui, propter summam raritatem, in antiquariorum scholis, *unici* (s) solent appellari. Nam et ipsi similem vix ac ne vix quidem invenies, et plumbeus est, et indubitatae deprehenditur antiquitatis, et usum habuit prorsus peculiarem. Quae maxima numi nostri caritas ut eo magis patescat, singula haec momenta paullo accuratius iuvabit explicare. Diximus, nostrum, qui aestimetur maximi, dignissimum esse, et primo quidem propterea, quoniam in multis, iisque ingenti elegantium numorum copia instructissimis, cimeliarchiis frustra quaeritur. Mihi certe, omni cura summaque diligentia recensenti quicquid aeris vetusti tulit aetatem, atque, e terrae visceribus erutum, viri eruditi nunc strictim descripserunt, quod in catalogis fieri assolet numariis, nunc vero data opera, et doctrinae, quo quisque erat instructus, apparatu, peculiaribusque voluminibus, explicarunt, post multum demum laboris exanclatum, unum investigare licuit alterumve, qui eandem, quam noster, praefert epigraphen eandemque imaginem. In illis tantum numophylaciis nostro similes asservari didici, quae, quemadmodum peritos, fortuna propitia utentes viros, principesque maximos conditores suos venerantur; ac non quovis metallo veteri sunt onusta, sed numis rarissimis splendent. In multis illis numismatographorum libellis, quos partim ipse in scriniis meis servo, partim ab aliis mutuos accepi, atque manu pervolvi diligentissima, non nisi tria numi nostri reperire potui ectypa; quorum tamen unum, quoniam temporis, omnia corrumpentis, iniuria ita est exesum, ut pars eius praecipua, postica nempe, propemodum perierit,

 iure

(s) Conf. *La science des medailles antiques et modernes par* LOVIS IOBERT, pag. 273.

iure maiori ad aes rude amandatur, quam inter alicuius pretii utilitatisque numos reponitur. Primus, ego quantum novi, qui orbis litterati cives certiores fecit, istiusmodi numum in honorem Hadriani Imperatoris signatum esse, atque, bene conservatum, ad recentiorem aetatem transmissum, est CAROL. PATINVS, praeclara eruditione et summis de universa re veterum numaria meritis clarissimus. Hic enim quum enumeraret admodum locupletem numismatum, antiquorum et recentiorum, ex omni metallorum genere, apparatum, quem illustrissimus PETR. MAVROCENVS, senator Venetus, sagacitate maxima, per multos annos, pecuniarum vi ingenti, favente etiam fortuna, undique conquisivit, morti vero proximus, ut patriae suae splendori consuleret, tabulis, quibus suprema sua ordinabat, in Serenissimae Reipublicae sacrarium iussit conferri: inter Graeca Imperatorum Romanorum numismata, ex aere, recensebat (t) magnitudinis mediae numum, Hadriani imagine, in parte adversa, conspicuum, in aversa vero duos, ut ipsi videbatur, Canopos, in templi stantes vestibulo, addita epigraphe L. IH. ostendentem. Geminum hunc esse nostro, obscurum fore, credimus, nemini; licet PATINVS, quem in hoc thesauro describendo non ea, qua erat par fieri que ab eo poterat, ratione versatum esse, eruditi (u) mirantur et lugent, nec typum curaverit apponendum, nec vera sentiat, quum, in uno eodemque numi latere unius eiusdemque numinis effigiem bis expressisse artificem, affirmat satis inconsideranter; quemadmodum ex infra dicendis (x) promtum fiet atque propositum. Praeter laudatum PATINVM numismatis nostri mentionem iniecit idemque, aeri incisum, iuris fecit publici doctrina et genere nobilis Velaunus, CLAVD. NICASIVS (y), a quo mutuo sumtum hic non piget delineare, ut oculis iudicare queant lectores, illud ex omni parte nostro respondere.

Refert

(t) *Thesauri Maurocenici*, Venetiis 1683. in 4. excusi, cap. XII. pag. 118.

(u) Vide ANSELM. BANDVRIVM loc. citat. pag. 93.

(x) Vid. Cap. VII.

(y) In *dissertat. ad illustr. Spanhemium de numo pantheo Hadriani imperatoris*, Cap. III. pag. 28.



Refert NICASIVS, copiam ſingulariſſimi huius numi, quem propter inſignem eius craſſitiem inter maioris moduli reponit, ſibi feciſſe IOH. PETR. RIGORDVM, Maſſilienſem de antiquitate bene meritum; qui, quum non niſi illud ſtudioſe fuerit venatus, quod in Graeciae Latiique veteri pecunia rarum occurrit atque inprimis eſt memorabiſe: coniectura fortaſſis non aberrabimus, ſi, cimelio huic in gaza Rigordiana propterea locum eſſe relictum, credimus, quod inter haud quotidie obvia a conditore referebatur. Denique, in ditiſſimo Muſeo Farneſiano, quod liberalitate Cardinalis ALEXANDRI FARNESII, Pauli III. Pont. nepotis, Romae, ante duo circiter ſaecula, exſtructum, Sereniſſimi Parmenſium Ducis, RAINVTII II, iuſſu, ante quinquaginta, et quod excurrit, annos, Parmam (z), nuper vero in regnum Neapolitanum, ſicut fertur, eſt tranſlatum, aereum numum, non diſſimilem noſtro, PAVL. PEDRVSIVS, e ſocietate Ieſu atque memorati theſauri enarrator, nos docuit (a). Ita vero comparatum eſt hocce Farneſianum ectypum, ut iure meritoque numis curtis, quo nomine PERSIVS (b) exeſos deformesque inſignit, adiiciatur. Poſticam enim partem, quae, quod maiorem, quam antica, fructum fert optimis ſtudiis, nobiliſſima exiſtimatur, temporis longinquitas et iniuria ita corruperunt, ut

 Ca-

(z) Hiſtoriam theſauri Farneſiani delineant auctores *Actor. erudit.* An. CIↃIↃCXCVI. pag. 58.

(a) *I. Ceſari in metallo grande, da Giulio Ceſare fino a L. Elio, raccolti nel Farneſe Muſeo etc.* Tom. VI. tabul. XXXVIIII. pag. 372. ſqq.

(b) *Satyra* V. verſ. ultim.

Canobi Isidisque figurae, quibus eam monetarius ornaverat, aegerrime queant agnosci; quemadmodum ipse numus, quem apponimus, facit manifestum.



Dedit quoque operam PEDRVSIVS, ut, quas in aversa conspicabatur, imaginum reliquias, illustrasse atque interpretatus esse videretur. Ne quis igitur in eam inducatur opinionem, nos, hac commentatione eundem moventes lapidem, actum agere ac post Homerum illum scribere Iliada, monemus, qui in commentariis illis profundam quaesierit doctrinam, eum facturum esse contra mentem ipsius auctoris, qui, observante ANSELM. BANDVRIO (c), aequo et iusto operum numismaticorum arbitro, *hoc unum sibi proposuisse videtur, ut, arrepta e numis occasione, nobilium adolescentium, qui in Parmensi collegio humanioribus litteris operam navabant, animos ad virtutem inflammaret.* Ac certe, nec solida esse, nec multa, quae ille ad huius numismatis explicationem protulit in medium, nemo diffitebitur, qui Pedrusianas legit annotationes, quas eo libentius heic adscribimus, quo infrequentius voluminosum illud opus in bibliothecis etiam instructissimis reperitur. Sic autem ille. „Rinovano gli Egiziani l'onore al loro Monarca, accoppiando i proprj „Dei alla dilui augusta Immagine. A tal fine ci viene rappresentata, nella faccia contraria della Medaglia, la Testa d'Iside collocata sopra un' „Idria, ed ha dirimpetto il suo Canopo. Tra le molte prerogative attri-

(c) Loc. citat. pag. 188.

„tribuite a questa pretesa Dea, era considerata come Genio tutelare dell' „Egitto, e singolarmente dell' acque dell' Nilo; quindi figuravasi talvol„ta con una Situla nella mano, e con ciò (d) *omnium lacunarum fluen„tiam ostendebat*; ma perchè l'oggetto principale del di lei supposto pa„trocinio erano l'acque del Nilo, con riflesso particolare alle medesime „penso comparisca la di lei Testa sopra l'Idria. Per maggiore intelli„genza di questa indicazione, convien sapere, che l'acqua del detto Fiu„me, riputata sacra, conservavasi in alcune Idrie; e quando in una di „esse portavasi con tutta venerazione al Tempio, raccoglieva profon„de adorazioni da tutti i circostanti (e): *Aegyptii, tanti Nili aquam fece„re, ut, cum hydria ad templum humeris ferebatur, omnes procumberent, „et, sublatis manibus, Deis gratias agerent*; nè solamente nel Tempio cu„stodivasi entro l'Idrie, ma (f) *verisimile est, unumquemque Aegyptio„rum, in domo sua, saltem vasculum aliquod habuisse, quo exceptas sacri Ni„li aquas veneraretur.* Da ciò può intendersi, con quanta congruenza „i sogni delle dottrine egiziane dassero a vedere sopra l'Idria la testa „d'Iside, creduta favorevole presidente all'acque del Nilo. Certo è, che „il motivo ancora di metterle in mano, come vedesi in altre Medaglie, il „Sistro, era per dimostrare l'accesso del Nilo (g): *Per sistri motum, quod „gerere fingebatur in dextra, Nili accessum significabat.* Nella Medaglia „sesta della Tavola trigesimasettima ho parlato di Canopo, nella con„formità, che le follie pagáne ci additano; ora qui avverto, che sotto „questo nome di Canopo gli Astronomi riconoscono una Stella, chiama„ta da Plinio (h) *sydus ingens et clarum*, mentre credesi essere *omnium „fixarum maxima et fulgidissima*; a riguardo però della vicinanza, che ha „al Polo Antartico, non è da noi veduta, *nec Canopum cernit Italia;* indi „poco dopo soggiugne (i): *Canopus quartam fere partem signi unius su-*

pra

(d) SERVIUS *ad Aeneid.* VIII, 696. et LIL. GREG. GYRALDUS *de diis gentium* syntagm. XII.

(e) LIL. GREG. GYRALDUS loc. citat. syntagm. XVII.

(f) ATHAN. KIRCHERUS *Oedipi Aegyptiaci* Tom. I. syntagm. III. cap. 7. pag. 210

(g) GYRALDUS loc. citat. syntagm. XII.

(h) PLINIUS *Hist. natur.* lib. VI. Cap. 22.

(i) Idem lib. II. Cap. 70.

„*pra terram eminere Alexandriae intuentibus videtur; eadem a Rhodo ter-* „*ram quodammodo ipsam stringere*; cioè sembra radergli l'Orizonte. Non „sempre, benchè frequentemente, il favoloso Dio Canopo figuravasi, co- „me nella Medaglia comparisce, con l'Idria alla quale Iside ancora qui „si conferma; ma (k) *idola Canopi, quae colebant Aegyptii, erant forma* „*nunc hydriae, turbinata superficie in basin euntis, nunc pueri reticulata* „*veste involuti, nunc Hermae forma, omnibus tamen in hoc convenienti-* „*bus, ut in turbinatam superficiem desinerent.* I Caratteri L. IH, segnati „nel Rovescio, dinotano, come ancora il altri si è veduto, l'anno deci- „mottavo dell'Imperio d'Adriano." Hactenus PEDRVSIVS, qui, dum imagunculam, dextram lateris aversi partem occupantem, pro Isidis habuit signo, haud vera vidisse, est iudicandus. Hac enim monetarium adumbrare voluisse Canopum, alteram vero, ex adverso stantem, repraesentare Isidem, ex iis, quae in huius opellae progressu (l) commentabimur, fiet perspicuum. Praeterea, optabunt mecum eruditi, vir doctus fontes potius, ex quibus dulciores hauriuntur aquae, fuisset consectatus, quam rivulos, haud ubique limpida aqua fluentes. Deinde, quae disserit de memoratis Aegyptiorum numinibus, trita sunt et tironibus cognita, quorum nemo est, quin PEDRVSII de Canopo atque Iside observationes, ex quodam theologiae superstitiosae compendio didicerit. Postremo, quo maiori sollicitudine vulgaria, undecunque collecta, ad numismatis sui illustrationem affert, eo altiori silentio premit, quae ad eius interpretationem inprimis poterant conducere. Quae quum ita sint, tantum abest, ut otium nobis fecerit PEDRVSIVS, ut potius egerit nihil, Spartamque hanc, pro civili parte ornandam, nobis reliquerit.

CAPVT.


(k) ATH. KIRCHERVS loc. citat. pag. 210. (l) Vide Cap. VI. & VII.



CAPVT III.

In numorum veterum pretiis conſtituendis metallorum nec ignobilitatem, nec praeſtantiam reſpiciunt periti. Plumbum, natura ſua molliſſimum, temporis iniuriae maxime eſt obnoxium. Numi igitur plumbei, ex vetuſto aevo, ſuperſint pauciſſimi, neceſſe eſt. Antinous plumbeus centum uncialibus aeſtimatus. Recenſentur, qui, monetam plumbeam veteres Romanos habuiſſe, negarunt, eorumque argumenta refelluntur. Lege Cornelia numaria interdicti non fuerunt numi plumbei. Titulus, quem monetarii affectarunt, A. A. A. F. F. nihil iuvat plumbi veteris oſores. Deae Monetae typus in numis imperatoriis. Quando eadem trium mulierum figuris adumbrari coepta. Confirmant monetae plumbeae apud Romanos uſum Plautus et Martialis. Claud. Chifletius et Ludov. Savotus notati. Aere quidem et ferro argentum miſcuerunt Romani, non vero plumbo. Comici veteres cum numis vilibus, publica tamen auctoritate probatis, res contemnendas comparant. Claud. Salmaſius refutatur. Plumbum quare nigrum appellarint veteres, indicatur. Sub ſaeculi demum ſecundi exitum aereos numos plumbo adulterare coeperunt Romani. Paſſim in numophylaciis occurrunt numi plumbei, de quorum ingenuitate non dubitant periti. Plumbeorum numiſmatum, quae Muſeum Laur. Pignorii ornarunt, uſus varius fuit. Numulus familiae Pedaniae plumbeus vindicatur. Neronis numus, in quo Paullini legitur nomen, referendus eſt vel ad Pompei. Paullinum, vel ad C. Suetonium Paullinum, quorum virorum res geſtae ſtrictim enumerantur. Numus Neronis alius, cum imperatoris huius filiae, Claudiae, imagine, affertur. Antinoum plumbeum gazae Molanianae, ob inſolitam ſcribendi rationem, quae in eo obſervatur, immerito ſollicitavit Iob. Reiskius. Saeculo ſecundo ſigma modo forma antiquiſſima Σ, *modo lunata figura* C *pingebatur.* Ο ΙΕΥC *ſcriptum pro* Ο ΙΕΡΕΥC. *Numi bene multi, monetariorum culpa, vitioſi*

tiosi sunt. Franc. Ficoronius, plumbea numismata omnia loco tesserarum, in ludis publicis, fuisse adhibita, perperam contendit. Nostri numi plumbei sinceritas et in commercio usus demonstrantur.



Solent, nec sine ratione, qui aeris vetusti notitiam paullo penitiorem, multo labore, sibi acquisiverunt, in numorum pretiis constituendis, non semper spectare materiam, atque numos ex metalli praestantia, aut ignobilitate pendere. Saepe numero ipsum obryzum posterius ducunt argento; immo, subinde numismata, ex aere fabrefacta, nobilioribus metallis, multis modis, praeferunt. Sic, Agrippinae iunioris, ex argento, numum, ostendentem hinc Agrippinae et Neronis capita adversa, cum epigraphe, AGRIPP. AVG. DIVI CLAVD. NERONIS CAES. MATER, illinc vero inscriptionem, circa coronam querceam, in qua S. C. legitur, NERONI CLAVD. DIVI F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. P. aureo, iisdem capitibus inscriptionibusque conspicuo, rariorem pronuntiat nequaquam stultus numorum veterum existimator, IOH. VAILLANTIVS (m). Et, quis est omnium tam ignarus rerum, atque in antiquariorum republica tam rudis, quin sciat, primi moduli Othones aereos atque Latinos, licet eiusdem imperatoris numi ex argento non obvii, ex auro autem raritate sint praestantissimi, his tamen tantum anteponere peritos, ut inaestimabiles eos appellitent? „Vn Othon Latin, scribit LVDOV. IOBERTVS (n), de grand bronze, n'a point de prix, au lieu qu'un „Othon d'or ne vaut que trois ou quatre pistoles au-dessus de son „poids, qui est environ treize francs. Et le même Othon d'argent ne „vaut que quarante ou cinquante sols au-delà de ce qu'il pese etc. Licebit igitur nobis quoque, nostrum, propter materiam, quae plumbum, ut iam supra indicavimus, est, longe rarissimis praeponere; etiamsi, ex

---

(m) Vide eius *Numismata Imperatorum Romanorum praestantiora, a Iulio Caesare ad Tyrannos usque*, Tom. II. pag. 64.

(n) Loc. citat. pag. 18.

ex aere, ſui habeat ſimiles. Qui metallis exercendis invigilant, eorundemque naturam diligentia inveſtigarunt, teſtantur (o), plumbum magnam argenti vivi quantitatem, ſulphuris parum, pauciſſimum vero terrae, ſeu ſalis, habere; ac proinde, quod ὁ πάνυ, HERM. BOERHAAVIVS (p), inter praecipuas plumbi notas retulit, metallorum omnium eſſe molliſſimum. Numi igitur, ex metallo adeo tenero facti, temporis iniuriae, neceſſe eſt, prorſus ſint impatientes; quod ipſum experientia etiam docet. Ex optima enim hac magiſtra diſcimus, plumbeis numiſmatibus corrupendis dimidii ſaeculi ſpatium ſufficere; quemadmodum EVCHAR. GOTTL. RINCKIVS (q) animadvertit in Danicorum biga, quae iuſſu Friderici III, quum belli premeretur neceſſitatibus, ſignata, quum elapſi vix eſſent quinquaginta anni, iam detrita apparebat. Hinc quum manifeſto comperiamus, monetae plumbeae, a priſcis Graeciae Latiique incolis cuſae, copiam admodum exiguam ad hanc noſtram pervenire potuiſſe aetatem: quicquid numorum veterum, ex viliori illo metallo conflatum, hodie ſuperſtes, nec ſpurium eſt, merito maximi aeſtimatur, immo auro gemmisque debet anteponi. Anglus certe quidam, quem magnam rei numariae habuiſſe novimus prudentiam, pro Antinoo plumbeo centum unciales obtulit ſumme venerabili GERARDO, e gente MOLANORVM, liberi et imperialis coenobii Luccenſis praeſuli quondam longe meritiſſimo: qui tamen, enormem illam argenti ſummam reſpuere, quam tanto cimelio, quo mirum quantum delectabatur, ſe privare, duxit ſatius (r). At enim veremur, ne ipſa numiſmatis noſtri materia, qua adducti, idem inter longe rariſſima collocandum eſſe, cenſuimus, aliis ſit offendiculo, praebeatque occaſionem illud adulterinum et vix dignum pronuntiandi, quo

 quis

(o) Vid. IOH. IOACH. BECCHERI *ſupplementum in phyſicam ſubterraneam*, Cap. VI. pag. 669. edit. Lipſ. 1703. 8.

(p) In *Elementis chemiae*, Tom. I. pag. 42. edit. Lipſ.

(q) Loc. citat. Cap. V. pag. 35.

(r) Vide *Celeberrimorum virorum epiſtolas de re numiſmatica ad* ZACHAR. GOEZIVM, pag. 2. ima.

quis gazam suam oneret. In horum itaque sententiam, quam procul dubio ferent, paullo accuratius inquirere, atque plumbeae monetae, apud veteres, usum confirmare, nostrum erit officium, ut numi nostri dignitas sarta tecta conservetur. Quemadmodum in illo artis numismaticae capite, quod de priscorum hominum moneta plumbea exponit, nihil ferme occurrit, quin vocatum sit in controversiam: ita quoque cum olim non defuerunt, tum etiam, hac nostra aetate, uti scio, reperiuntur viri docti, qui, plumbeos numos, quotquot eorum, in cimeliarchiis, passim ostenduntur, ut improbos atque a falsariis suppositos, reiicere, nulli dubitarunt, nec dubitant. Professus est, maiorum memoria, inter ita sentientes nomen suum iuris peritus non incelebris, FRANC. HOTOMANNVS (s). Adstipulati iisdem sunt, praeter alios, IOH. SMETIVS (t), BVRC. GOTTHELF. STRVVIVS (u) et inprimis IOH. REISKIVS, quo, eruditi Guelferbyti ornamento quondam egregio, qui maiore contentione plumbi veteris probitatem impugnaverit, novi plane neminem. Quum enim, ante hos annos quadraginta tres, sub personato IANI RVTGERSII nomine, bellum inferret (x) IOH. HENR. EGGELINGIO; quoniam hic reip. Bremensis, ut vocant, secretarius, Antinoum Musei Molaniani plumbeum, vel, quod hic malebat, stagneum, cuius plane paullo ante iniecimus mentionem, genuinae atque indubitandae antiquitatis esse, affirmaverat; (y) ipse vero pulcre intelligeret, non posse rectius convelli EGGELINGIVM, quam si daretur probatum, quicquid plumbi stagnique signati, hac tempestate, circumfertur esse reprobum: omnibus ferme, quae

(s) *Antiquitatt. Romanar.* lib. IIII. citante IO. REISKIO, pag. 8. libelli mox nominandi.

(t) In *Antiquitatibus Neomagensibus*, pag. 171.

(u) *Bibliothecae numismat. antiquior.* cap. III. pag. 136.

(x) Integer scripti huius eristici titulus est: IANI RVTGERSII *de orbe stagneo, aut numo potius adulterino, seu reprobo Antinoi ad virum nobiliss. Ioh. Henr. Eggelingium epistola, et haec quidem e Parnasso per scribas nuntiosque publicos MDCXCVIII. exarata Bremamque perlata.* Frf. 1699. 4. plagg. 2.

(y) In *Epistola ad illustrissimum Lucensium Abbatem de orbe stagneo Antinoi.* Bremae 1691. 4.

quae, in hac disceptatione adhibuisse eruditos, noverat, argumentis, undique, nec sine labore, corrasis, adversarium suum oppugnabat. Verum, cum rationes, quibus, ut plurimum, contra veterum plumbeos pugnatur, leves sunt, atque eius naturae, ut sagaces, qui animum attendunt, earum imbecillitatem non possint non intelligere, tum REISKIVS in adoptata semel sententia non perstitit, sed, a venerabili Luccensium Abbate victus, palinodiam, licet privatos inter parietes, cecinit (z). Firmamentum praecipuum, quo REISKIVS eiusque asseclae nixi, plumbum vetus proscribendum iudicarunt, ipsis exhibuerunt sequentia legis Corneliae verba (a): *Eadem lege exprimitur, ne quis numos stagneos, plumbeos, emere, vendere dolo malo vellet.* Quoniam nempe, sub tabulae huius initium, legislator, crimine falsi teneri, iubet, qui in aurum vitii quid addiderint, aut argenteos numos adulterinos flaverint: autumant hinc, huius legis auctorem eandem poenam denuntiasse, qui plumbeos cudere fuerint ausi. Instant itaque, quum apud Romanos omnis plumbi in commercio usus fuerit interdictus: nullum esse dubium, quin falsarii fabrefecerint quicquid plumbi signati hodie in ditiorum exstat numophylaciis. Verum, sicuti haec interpretatio a mente legislatoris est alienissima: ita etiam, quod inde concludunt adversarii, ultro concidit. Recte sagacissimus et omnis antiquitatis, et legum interpres, CAROL. CAES. BAVDELOTIVS (b), observat, hanc tabulam haudquaquam a monetariis officinis relegasse plumbum, sed interdixisse tantum, ne privati homines flarent ferirentque monetam,

 idque

(z) Intelligere hoc licet ex laudati praesulis epistola, ad ZACH. GOEZIVM data, in qua loc. citat. ita scribit: *De Antinoo meo stagneo recte iudicas. Quae contra egregii illius numi authentiam molitus est, sub persona Rutgersii, beatus Reiskius, vir cetera non indoctus, quasi re bene gesta, cum prolixa epistola ad me misit ipse. Orta hinc inter nos concertatio epistolica super quaestione, an Romanorum temporibus numi genuini exstiterint, ex panno, vel plumbo cusi; id quod ego scriptionibus aliquoties iteratis, tot argumentis evici, ut victas mihi manus daret denique.*

(a) *L. 9. §. 2. π. ad leg. Cornel. de falsis.*

(b) *De l'utilité des voyages, et de l'avantage que la recherche des antiquitez procure aux sçavans*, Tom. II. pag. 549. sqq.

idque adeo ſevere, ut ne quidem ex vilioribus metallis numos cudere licuerit. In aliam enim partem haud interpretatos eſſe ipſos veteres hanc legem, confirmat teſtimonio Q. ASCONII PEDIANI, diſerte ſcribentis (c), iubere *legem Corneliam numariam, quae de moneta, ne quis pecuniam faceret,* ſive illa aurea eſſet argenteaque, ſive aerea, aut plumbea. Praeterea, idem BAVDELOTIVS, poſtquam, variis argumentis, vero fecit ſimile, verba, de quibus hic diſceptamus, librariorum culpa, male ſana ad nos perveniſſe, docet, auxilio ſanioris critices, menda ita tolli oportere, ut in poſterum legatur: *Eadem lege exprimitur, ne quis numos ſcilicet aureos et argenteos plumbeosve temere vendere dolo malo vellet.* Rem acu ſi tetigit Gallus ille eruditus; ſique hic genuinus eſt huius conſtitutionis legendae modus: adeo non militat contra plumbi in commercio uſum Cornelii tabula, ut eundem potius extra omnem dubitationis ponat aleam. Dum enim poena, falſariis conſtituta, ſancit, ne quis *temere*, id eſt, ſine magiſtratus, penes quem erat monetam cudendi poteſtas, conceſſione, ex omni metallorum genere, etiam viliſſimo, numis mercetur: concedatur nobis, neceſſe eſt, plumbeos, publica cuſos auctoritate, in re Romanorum publica exſtitiſſe. Verum, nolumus pro hac BAVDELOTII emendatione, tanquam pro aris et focis, propugnare. Concedere poſſumus, critica ope haud indigere tabulam Corneliam: nec tamen lucri quicquam inde capient, qui plumbi uſum apud Quirites eunt infitias. Si enim hac in civitate plumbei numiſmatis nullus fuit uſus: certe Corn. Scipio, dictator, quem huius legis auctorem putant, ſupervacaneam ſuſcepit operam, dum eam figebat. Plumbeus profecto ſit falſarius, qui numos cudere velit ex illo metallo, quod a commercio novit eſſe remotum. Dum itaque S. P. Q. R. opus eſſe iudicaverunt, eiusmodi tabula adulteratores coërcere: nemo amplius dubitare poterit, quin, in florentiſſima hac republica, homines emerint neceſſaria plumbeis numis, in monetaria officina ſacra ſignatis. Everſo, hac ratione, adverſariorum fundamento prae-

(c) *Ad Ciceronis orat. in Verrem de praetura urban.* pag. 99. edit. Lugd. B. 1644.

praecipuo, video, cetera, quibus, sententiam suam firmare, satagunt; argumenta haud exquisita esse, et ad probandum prorsus inepta. Nequeo sane satis mirari, qui abs se impetrare potuerint plumbi veteris osores, ut, quum in orbe antiquo minime versarentur hospites, tamen caussam suam defendere instituerint (d) solemni illa totiesque obvia in numis formula A. A. A. F. F. quasi veteres ea ipsa indicare voluerint, se *Auro*, *Argento Aerique Flando*, *Feriundo*, non aliis metallis signandis, fuisse occupatos. Quis enim linguarum, quas eruditas hodie vocamus, adeo est rudis, qui non sciat, quam late *aeris* vocabuli sensus apud veteres patuerit. Ipsi tirones haud ignorant, Graecos χαλκὸν, Latinos vero *aes*, omnis generis numos, ex quocunque demum metallo conflatos, appellasse; idque propterea fortassis, quoniam aes, ante reliqua metalla, apud hos populos, fuit signatum (e). Quid igitur? si tirones responderint, eodem latiori sensu *aeris* vocabulum, in formula illa adhibitum, plumbeos quoque numos comprehendere? Nihil certe, quod regerant, adversarii habebunt; praecipue, quum brevitatis studium, quod monetarii veteres in numorum inscriptionibus sollicite observarunt, auctores huius formulae prohibuisse videatur, quominus triplici A litteram P darent comitem. Vt autem ludus fuit alterum, quo contra plumbei numismatis antiquitatem pugnatur, argumentum, infirmare atque frangere: sic nullo negotio tertium quoque refellitur, quo illi solent uti, qui, licet haud negent, superstites esse ex antiquo aevo plumbeos numos, eos tamen in commercio locum habuisse pernegant. Desumunt illud a Monetae figura, quam in nonnullis senescentis imperii Romani numis habet (f). In his eam subinde repraesentant mulieres tres, quarum unaquaeque dextra manu bilancem, sinistra cornu Amaltheae tenet,

(d) Vid. IOH. REISKIVS loc. citat. pag. 9.

(e) Confer. IOH. CHRISTOPH. WAGENSEILIVM *de re monetali veterum Romanorum*, Cap. V. pag. 22. ubi testimonia, ex priscis auctoribus collecta, quae memoratum harum vocum usum confirmant, videbis.

(f) Vid. non incelebris Theologi Iulii, HENR. IOH. BYTEMEISTERI, *delineatio rei numismaticae antiquae et recentioris*, Cap. III. pag. 45. quo in libello quorundam de numis antiquis placita recensentur.

tenet, quasque illi trium metallorum praestantiorum, quae sola in officinis monetariis sint elaborata, credunt symbolum. At enim vero, ea ratione, si fas est subducere calculos: ego facili opera evicero, partem numorum argenteorum aereorumque maximam, quae nunc ditiorum ornat gazophylacia, nequaquam a Romanis pecuniae loco fuisse adhibitam. Norunt, qui, quicquid aeris, iussu Quiritum, signatum est, curioso et attento oculo perlustrarunt, Domitianum primum esse, in cuius numis unius mulieris figuram, dextra stateram, duabus instructam lancibus, sinistra vero copiae, ut vocant, cornu praeferentem, addita epigraphe, MONETA AVG. contemplamur. Saltem in numismatum, auctoritate Romanorum, inde a Pompeio M. ad Heraclii usque tempora, cusorum, recensione, quam incepit ADOLF. OCCO, locupletavit FRANCISC. MEDIOBARBVS atque perfecit ferme PHIL. ARGELATVS, nullum, memorata imagine, aut epigraphe conspicuum, ante Domitiani consulatum decimum (g), occurrit. Praeterea, iisdem viris numus, tribus Monetae figuris exornatus, qui Commodi, aut, si vera retulit DAVID. HOFFMANNVS (h), Traiani aetatem antevertat, nullus est visus. Denique, supersunt Severi Imperatoris numismata, quorum nonnulla Monetam unam, alia vero tres Monetas praeferunt (i). Contra omnium autem annalium monumenta, atque etiam contra ea niterer, quae unanimi antiquariorum consensu sancita et ipsa veritate sunt fundata: si, horum numismatum auxilio, conarer demonstrare, Domitiano imperante non nisi aureos in usu fuisse, aut Traianum denique, vel Commodum numos, ex tribus potioribus metallis factos, introduxisse, vel Severum nunc soli auro, nunc vero auro, argento aerique pretium statuisse. Nihil igitur proficiunt, qui tres illas, bilancibus

et

(g) Pag. 133. Prodiit autem opus Biragianum, cura PHIL. ARGELATI expurgatum mendis compluribus, additionibus contra innumeris auctum, Mediolani, ex aedibus societatis Palatinae, 1730. fol.

(h) In differt. de *Dea Moneta*, habita Helmaestad. 1717. §. 12. sub finem.

(i) Vide citatum modo opus Biragianum, pag. 269.

et copiae cornibus instructas, figuras testantur, quum, plumbeam pecuniam Romanis fuisse incognitam, firmare satagunt. Quanta autem infirmitate laborare vidimus argumenta, hactenus recensita, tanto plus ponderis habent, quibus contrarium probare solent peritiores. Quod si enim testes duo, iique oculati, omni exceptione maiores merito censentur: expedita iam erit atque aperta caussa nostra. Adsunt enim, ex remotissima antiquitate, PLAVTVS et MARTIALIS, qui, se plumbeam monetam, Romae valentem, vidisse manibusque contrectasse, disertis verbis, referunt. Horum enim poëtarum alter sic canit (k):

Cui homini hodie peculi nummus non est plumbeus.

Et iterum (l):

Tace sis faber, qui cudere soles plumbeos
Nummos.

Nec non alibi (m):

Cui, si capitis res sit, nummum nunquam credam plumbeum.

MARTIALIS vero (n):

Vt convivia sumptuosiora,
Toto quae semel apparas in anno,
Nigrae sordibus explices monetae;
Et septem veteres tui sodales
Constemus tibi plumbea selibra.

Et alio loco (o):

Togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto?

Verum, nec horum testium auctoritas satisfacit illis, qui, Romanos plumbeis numis viliores emisse merces, pernegant. Nam, vtrumque poëtam plumbei numismatis nomine designare quosvis parvi pretii numos, caussantur; atque, ut huic obiectioni aliquam veritatis conciliasse videantur

(k) In *Casina*, Act. II. Scen. 3. v. 40.
(l) In *Mostellaria*, Act. IIII. Scen. 2. v. 11.
(m) In *Trinummo*, Act. IIII. Scen. 2. v. 120.
(n) Lib. I. epigr. 100. v. 11. sqq.
(o) Lib. X. epigr. 74. v. 3. sq.

tur speciem, ad viros provocant, eruditione eximia nobilitatos, qui in eum sensum loca allata sunt interpretati. *Frusta*, inquit IOH. REISKIVS (p), *ad* PLAVTVM, MARTIALEM *et* VLPIANVM, *ICtum, provocas, qui numos stanneos plumbeosque, in poëmatibus et legibus Romanis, commemorant. Siquidem vix credes, quantam totus criticorum senatus in Parnasso ad loca tua citata indignationem conceperit, dum sollerter numi plumbei per obolos aeratos a* SCALIGERO, GRVTERO, CASAVBONO *et* TAVBMANNO *explicabantur; ab ICtis autem*, et HOTOMANNO *maxime, per quosvis parvi, aut vilioris pretii numos, et quadrantes sportularios reddebantur*. Maxima, fateor, hic citantur nomina, virique producuntur, cum quibus dissentire est religio; at tunc demum, quum, quae decernunt, aliqua saltem veri praedita sunt similitudine, qua autem, hac in caussa, prorsus destituuntur. HOTOMANNVM enim a vero legis Corneliae numariae sensu longissime aberrasse, supra iam est evictum. Et, quemadmodum critici, quos REISKIVS testatur, propterea PLAVTI et MARTIALIS numos plumbeos de aeratis exposuerunt obolis, quoniam, HOTOMANNO adstipulati, crediderunt, plumbeam monetam legibus fuisse interdictam: sic nullus dubito, quin mutassent mentem, si iurisperiti huius agnovissent errorem. Quum vero illi, qui argumentis, a virorum percelebrium auctoritate ductis, militant, non immerito iisdem armis repellantur: licebit nobis quoque nominare viros et legum, et litterarum, et totius antiquitatis valde gnaros, qui nobiscum conspirant. Ex horum numero est gravissimus iuris Romani interpres, IAN. VINCENT. GRAVINA (q). Diserte enim affirmat, toties memorata lege Cornelia iudicium in illos dari, qui pretiosiori metallo deterius infuderint; qui monetam attonderint, raserint; qui fraudibus hisce praestiterint opem, aut monetam extra locum, operi huic, iussu publico, destinatum, signaverint. Ne verbulo autem monet, eadem lege numos plumbeos interdici. Nec minus CLAVD.

CHI-

(p) Loc. citat. pag. 9.

(q) *Originum iuris civilis* lib. III. *operum*, extra GOTHOFR. MASCOVII editorum, pag. 451.

CHIFLETIVS (r), LAVR. PIGNORIVS (s), IOH. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS (t), EVCHAR. GOTT. RINCKIVS (u) et Celeb. HERM. VLR. A LINGEN (x), tam PLAVTI, quam MARTIALIS, testimoniis, plumbi apud Romanos in commercio usum satis superque probari, existimant. Quod quidem attinet ad Comici verba, quae secundo loco recitavimus, arbitratur CHIFLETIVS, illa ad controversiam, quam pertractamus, dirimendam nihil prorsus facere; utilia vero illis esse, qui, falsarios, Plautina aetate, plumbum admiscuisse argento, vellent demonstrare. Ineptum quoque hunc locum ad usum numismatis plumbei firmandum iudicat sagacissimus prisci aeris indagator, LVDOV. SAVOTVS (y), quippe qui opinatur, eum potius facere manifestum, circa tempestatem, qua acta est fabula Mostellaria, plumbea numismata in falsorum numerum fuisse relata. At vero, ad manus sunt, quibus nodus, quem duumviri illi, praeter omnem necessitatem, nectunt, facili solvamus opera. Perspicacissimus sit mortalium, qui ex illo PLAVTI versiculo, in quo altum de argento est silentium, exsculpserit, artis argentum, admixto plumbo, adulterandi Romanos fuisse gnaros. Constat quidem inter antiquarios, Livium Drusum (z) octavam aeris partem, M. Antonium (a) autem ferrum miscuisse argento: plumbo vero denarios fuisse adulteratos, nusquam legitur relatum. SAVOTVM autem in eam, quam profitetur, sententiam discessisse, est sane, quod miremur. Paullo ante (b) enim affirmaverat, posse variis testimoniis, praecipue MARTIALIS et PLAVTI, demonstrari, Romanos plumbea moneta res viliores esse mercatos. Aliter quoque, credimus, explicasset

 phra-

(r) *De antiquo numismate*, Cap. XIII. pag. 75.
(s) *De servis veterum*, pag. 248. sq. edit. Amst.
(t) *De re monetali veterum Romanorum*, Cap. VI. pag. 28.
(u) De *veteris numismatis potentia et qualitate*, Cap. V. pag. 34.
(x) De *origine et inventoribus pecuniae et numismatum*, Cap. VI. pag. 79.
(y) *Discours sur les medailles antiques*, Part. II. chap. III. pag. 56.
(z) Vid. PLINIVS *histor. natur.* lib. XXXIII. cap. 3. Conf. IAC. GOTHOFREDVS *ad Cod. Theodos.* lib. VIIII. tit. 22. *de falsa moneta*.
(a) Idem libr. citat. cap. 9.
(b) Part. II. chap. I. pag. 44.

phrasin, *cudere numos plumbeos*, si didicisset, aut fuisset memor, illud solemne servasse Comicos, ut numos, minutos quidem vilissimosque, sed tamen communi usu receptos, nominarent, quum rem quandam contemnere ac in odium vellent adducere. Sic, quamquam Athenienses, minus florentibus rebus ipsorum (c), monetam aeream, publico decreto, approbassent: tamen cum istiusmodi numis homines nauci atque improbos comparavit ARISTOPHANES (d). Et, quoniam iidem numi haud eleganter erant signati: hinc laudatus comicorum princeps πονηροῦ κόμματος, *mali commatis*, eos esse dixit (e), qui moribus perditi erant atque abiecti. Eundem loquendi modum usurpat ipse PLAVTVS (f):

Nam, nunc novae quae prodeunt, comoediae,
Multo sunt nequiores, quam numi novi.

Quapropter credere malim, servum, eam ob caussam parasito silentium imponentem, quod hic cudere soleat numos plumbeos, exprobare voluisse Phanisco vilissimum vivendi genus; quam subscribere SAVOTO, censenti, falsi crimen eidem homini obiici. Quam in sententiam tanto lubentius descendo, quo magis eam firmare video verborum, hac in scena, nexum, quoque contemtius tractabantur apud veteres, qui dictis factisque ridiculis victum quaerebant. Restat nunc, ut MARTIALEM quoque a viris doctissimis vindicemus, quos eius testimonio intercessisse novimus. Nam, *selibram plumbeam* poëtam appellare sex sestertios numos aereos, *plumbeos* autem *numos* aeream monetam, cui plurimum plumbi admixtum, atque falli, qui eos accipiunt numos, ex plumbo conflatos, CLAVD. SALMASIVS (g) pronunciat. Verum, ne ipse per errorem sit lapsus, quod verear, habeo: immo, virum, alias κριτικώτατον, hac in re peccasse, plane scio. Priori in loco, *nigram monetam*, et *plumbeam selibram*, phrases esse, unam eandemque rem significant-

(c) Vide IOH. FREDER. GRONOVIVM *de sestertiis*, lib. II. cap. 8. pag. III. sqq.
(d) In *Ranis*, v. 742.
(e) In *Pluto*, I. v. 863. et 958.
(f) In *Casinae* prologo, v. 9. sq.
(g) In *Commentariis ad* FLAV. VOPISCI *vitam Taciti, Imperatoris*, Cap. VIIII. pag. 608.

gnificantes, non poterunt non iudicare, qui, dum epigramma illud perlegunt, animum adhibebunt mentemque. Quod si ita est, ut nemo unus poterit dubitare: utique de plumbea moneta, nequaquam vero aerea, MARTIALIS loquitur. Nequit enim nigredo tribui aeri veterum, quippe quod, colore suo, vel flavum, vel furfum, vel album fuit. Plumbum contra, illud imprimis, quod hodie simpliciter ita vocatur, Graeci vero μόλιβδον appellabant, atque ex quo plerique numi plumbei superstites, et noster etiam, sunt fabrefacti, quoniam internigrans est et tractantium manus nigrore inficit, *nigrum* dixit PLINIVS (h). Eandem ob caussam VIRGILIVS quoque plumbo livorem attribuit, dum canit (i):

Pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit.

Neque etiam audiendus est SALMASIVS, quum *numos plumbeos* de aerea interpretatur moneta, cui, plumbi admistione, sua ademta est sinceritas. Nam LVDOV. SAVOTVS (k), pro egregia, qua pollebat, rerum metallicarum cognitione, experimentis chymicis, ostendit, in numis omnino omnibus, aetate MARTIALIS, quem sub Domitiano, Nerva et Traiano floruisse constat, atque etiam ante hoc aevum, cusis, ne micam quidem plumbi deprehendi. Illam enim aeris corrumpendi methodum, exeunte demum saeculo secundo, usurpare coepisse monetarios. Vt autem, quae hactenus disputavimus, reddunt manifestum, PLAVTVM et MARTIALEM testes in hac caussa esse, quorum auctoritatem sequamur: sic duumviris hisce, ex vetusta memoria accersitis, ex recentiori aevo, quo studium numismaticum, summa diligentia, coluerunt eruditi, adiungere possemus ingentem eorum catervam, qui, postquam argumenta, quibus plumbi veteris impugnari solet probitas, ex omni parte pertentarunt, perspecta eorum infirmitate, agnitaque caussae nostrae bonitate, coniunctis sententiis, decreverunt, utique Quirites plumbeis

D 3 nu-

(h) *Histor. natur.* lib. XXXIII. cap. 5. et lib. XXXIIII. cap. 16.

(i) *Aeneid.* VII. v. 686.

(k) Loc. modo citat. pag. 45.

numis esse usos, eorumque aliquos ad nostrum pervenisse aevum. Verum; artificibus, in arte ipsorum, licet fides, nec immerito, adhibeatur, eorumque decreta plurimum habeant ponderis: tamen, brevitatis studio, integrum eorum catalogum hic contexere, supersedeo. Ad numos tantum, ex plumbo fabrefactos, et eos quidem provocabo, in quibus indubitandae authentiae indicia cum viri, numismatices peritissimi, deprehenderunt, tum nos etiam animadvertimus; quique, hac in lite, vim habere debent ad probandum maximam. Ex horum censu iudicamus esse aliquos de quatuordecim illis, qui, superiori saeculo, partim Romae, partim ex agris, aeternam hanc urbem cingentibus, effossi, in Museum pervenerunt LAVR. PIGNORII (l). In his enim ille *totius antiquitatis indagator acerrimus atque in veterum numismatibus interpretandis oculatissimus*, quemadmodum IAC. PHIL. TOMASINO (m) vocatur, adeo expressa observavit venerandae vetustatis vestigia, ut, quum antea plumbeam Romanorum monetam noluisset agnoscere, hisce cimeliis conspectis, illico in contrariam adduceretur opinionem. Equidem, PIGNORIO, universam suam plumbeam supellectilem veteris monetae reliquias esse, censenti, ut assentiar, non facile a me impetrare potero; idque propterea quidem, quoniam in illa sunt quidam, quorum imagines mihi suspicionem movent, eos rebus longe aliis inserviisse. Eorum nonnulli, nostra sententia, Saturnalium tantum tempore in usu fuerunt: existimamus etiam, eorum aliquos tesserarum loco illis fuisse datos, qui ludos publicos cupiebant spectare. Quotquot vero eorum numinum capitibus, vel symbolis, sunt conspicui, aut sacro illo imperii Romani signo, aquila, insignes, eos in commercio usum habuisse, ut credam firmiter, similitudine adducor, quam horum imagines cum illis habent, quas in imperatoriis, praecipue vero in consularibus, contemplamur. Hos enim in commercio olim fuisse, quemadmodum nemo negabit, nisi

(l) Aeri incisi exhibentur in libello de *servis* ad pag. 248.

(m) In *dissertat. de vita, bibliotheca et Museo* *Laur. Pignorii*, subiecta huius *Mensae Isiacae*, editionis Amstelodamensis pag. 66.

nisi qui ignorat, SEBAST. ERICIVM (n), statuentem, antiquorum numos, hodie superstites, a veteri distinguendos esse moneta, peritiores antiquarios dudum explosisse (o): ita etiam plumbeos, de quibus hic est sermo, eundem Quiritibus praestitisse usum, quis poterit in dubium vocare? Quod vero ad illum attinet, qui in adversa Iovis, vel, si mavis, imperatoris cuiusdam caput, barbatum atque laurea redimitum, ostendit, in aversa autem Herculem, clava armatum atque cum Antaeo luctantem, sistit, additis litteris S. C. quarum posteriorem chalcographus lunae corniculantis imagine adumbravit, eum quominus inter monetam Romanam referamus, insigni eius prohibemur magnitudine. Tanti nempe est moduli, ut merito annumeretur missilibus, sive, ut Itali loqui amant, *Medaglioni*, quae vulgaris monetae vices subiisse, uno ore, ac praecise, negant antiquarii. Ceterum, quicquid etiam litteris S. C. id est, *Senatus Consulto*, veteres significare voluerint; sive illis confirmata sit metalli probitas, sive indigitata potestas senatus ex vilioribus metallis numos signandi: illud tamen certum esse debet, numos, hac nota insignes, ac proinde etiam nostrum, publica auctoritate esse cusos. Hactenus recensitis Pignorianis succedant nunc duo a CAROL. PATINO (p) aliisque editi, quorum alter, quem inter consulares plerique reponunt, hinc Herculem, pusionem nudum, stantem atque serpentem elidentem, praefert, inde vero, et quidem in media area, *Caii* PEDANI*i* nomen exhibet legendum (q). Agnoscit numuli huius antiquitatem ingeniosus iuxta ac aequus aeris vetusti iudex, SIGEB. HAVERCAMPVS (r), quo, an quisquam, hac nostra aetate, maiori-

(n) *Discorso sopra le medaglie de gli antichi*, Part. I.

(o) Vid. *La science des medailles par* LOVIS IOBERT, pag. 29. sqq. et inprimis *dissertations du R. P.* ETIENNE CHAMILLART, *sur plusieurs medailles et pierres gravées de son cabinet, et autres monuments d'antiquité*, lettr. 1. et 2. ubi hac de re in utramque disputatur partem.

(p) In *Introductione ad historiam numismatum*, Cap. VI. p. m. 37.

(q) Ectypum videre cupienti satisfacient CAROL. PATINVS *in numis familiarum*, pag. 200. et SIGEB. HAVERCAMPVS loco mox citando.

(r) In *Thesauro Morelliano*, pag. 315. a.

ioribus accessionibus locupletaverit nobilissimum studium numismaticum, nescio. Ea vero ratione approbat hunc plumbeum, ut, eum nihil ad familiarum numos facere, sed potius in eorum numerum, quibus servi inter se usi, referendum esse, existimet. In hanc sententiam procul dubio adduci se passus est vir celeberrimus a CAROL. CAES. BAVDELOTIO (s). Hic enim primus est, qui, nixus lege Saturnalitia, LVCIANO (t) memorata: Ἤν τις ἐπ' ἀργυρίῳ πεττεύσῃ, ἄσιτος ἐς τὴν ὑστεραίαν ἔστω. *Si quis pro pecunia consueta luserit, in posterum usque diem ieiunato;* statuit, plumbeos diebus tantum, Saturno sacris, quibus Romanos plurimum servis indulsisse novimus (u), in usu fuisse. Quominus vero huic Saturnalitiae monetae accenseamus eum, de quo hic nobis est sermo, prohibemur et Herculis infantis imagine, et non incelebris familiae Pedianaè nomine. Eos solos in Saturnalibus locum habuisse, adfirmat BAVDELOTIVS, quorum figurae vel ridiculae sunt, vel ad historiam faciunt nihil, vel in pecunia veteri alias non conspiciuntur. Quapropter, ut ego quidem credo, nec ipse Gallus ille pereruditus adfirmasset, hunc numulum servorum tantum manibus fuisse tritum. Quid enim ridiculi inest imagini Alcidis, aut Romani civis nomini? Quis etiam negabit, utriusque partis typo res veterum gestas illustrari posse, immo etiam locupletari? Et, quis est eorum, qui, vel fugitivo oculo, perlustrarunt consulares, quem lateat, variarum gentium, v. g. Antiae, Aureliae, Publiciae, Pomponiae etc. denarios Herculis laboribus, factis atque attributis esse insignitos? Alter a PATINO productus, et quem laudatus HAVERCAMPVS (x) aeri curavit incidi, in parte antica ostendit caput Neronis laureatum, addita epigraphe: NERO CAESAR. In postica vero comparet Mars nudus, stans, galea tectus et dextra oleae ramusculum, sinistra hastam tenens, circa quem legitur: PAVLLIN. Ostendunt et huius nummuli indubitandam

au-

(s) Vid. l'*utilité des voyages*, Tom. II. pag. 628.

(t) In *Cronosolons*, Tom. II. Opp. pag. 618.

(u) Conf. SAM. PITISCVM *in lexico antiquitatum Romanarum*, titulo *Saturnalia*.

(x) Loc. citat. pag. 413. a.

authentiam historiae Romanae auctores. Illum enim Paullinum haud diversum esse iudicamus a Pompeio Paullino, quem, sub initium imperii Neroniani, Germanico exercitui praefuisse, atque inchoatum a Druso aggerem, coërcendo Rheno, absolvisse; deinceps vero vectigalibus publicis fuisse praepositum, TACITVS (y) memoriae prodidit. Huius nempe viri, quem Senecae, Philosophi, socerum fuisse, coniicit IVST. LIPSIVS (z), munus cum militare, tum civile, indicare videtur Martis typus, belli pacisque symbolis, in numulo, insignis. Sed erunt, ut suspicor, qui numum hunc, cum PETR. SEGVINO (a), referre malent ad C. Suetonium Paullinum, quem, bello, in Africa, feliciter gesto (b), devictaque Bunduica, Britannica femina (c), orta stirpe regia, primum proconsulem Britanniae (d), ac tandem consulem, una cum L. Pontio Telesino, factum (e), propter rei militaris peritiam animique moderationem, aevo Neronis, maximopere floruisse, in annalium monumentis legimus relatum (f). Hi acu rem si tetigerint, Martis figura indicio erit, opera huius Paullini provincias, Africam et Britanniam, fuisse pacatas, eundemque fortissimum aeque fuisse, ac pacis studiosum. Neque ego ita coniicientibus multum refragabor; dummodo id mihi concesserint, quod partim omnes, qui numum ipsum examinarunt, adfirmant, partim ex iis, quae hactenus disputavimus, non obscure colligitur, eum nempe a priscis hominibus, in ipsa fortassis Britannia, plumbi stannique fertilissima, fuisse cusum, rebusque, quae ad vitam sustentandam requiruntur, emendis inserviisse. Quicquid vero harum rerum

E fue-

(y) *Annal.* lib. XIII. cap. 53. et lib. XV. cap. 18.

(z) In *Notis ad Taciti Annal.* lib. XV. cap. 60.

(a) In *Epist. de numo Britannico*, quae exstat ad calcem *Selectorum numismatum antiquorum*, pag. 200.

(b) Vid. PLINIVS *Hist. natur.* lib. V. cap. I. circa finem, et DIO CASSIVS *Histor. Rom.* lib. LX. pag. 670. D. edit. Leunclav.

(c) IOH. XIPHILINVS pag. 700. sqq. et TACITVS *Annal.* lib. XIIII. cap. 29. sqq.

(d) TACITVS *in vita Agricolae* cap. XV. Adde *The Roman antiquities of Britain*, by IOHN HORSLEY, pag. 27 sq.

(e) Vide TACITVM *Annal.* lib. XVI. cap. 14. XIPHILINVM pag. 716. et IAN. GRVTERI *corpus inscriptionum*, p. MCII. num. 4.

(f) TACITVS *histor.* lib. II. cap. 31. et *de vita Iul. Agricolae* cap. 5.

fuerit: speramus tamen, Celeb. HAVERCAMPVM nobis nunc esse largiturum, plumbeum hunc, qui ipsi visus est nihil facere ad historiam, non prorsus fore inutilem in historia, olim ex numis contexenda. Eandem, quam in hactenus recensitis observavimus, ingenuitatem aperte praefert etiam numus Neronis alius, qui quondam SEBAST. FAESCHII, iurisperiti Basileensis, cimeliarchio, teste EVCH. GOTTL. RINCKIO (g), multum addidit decoris. Ab una parte ostendit Neronis, imperatoris, caput: in altera vero Claudiae, Augustae, filiae huius principis, ex Poppaea susceptae, sed intra quartum mensem denatae (h), imago est expressa. Tanto autem maiori iure plumbeum hunc suspicimus, quoniam unicus est, qui nobis sobolem Neronis sistit contemplandam. Nec temere sollicitandam arbitramur eius authentiam, quam indubiam iudicarunt, qui eum usurparunt oculis, et, quid distent aera lupinis, multo usu, didicerunt. Quod vero ad eius attinet auctorem, quis sibi persuaserit, sacras illas principum imagines alia, quam publica auctoritate, esse expressas, ut earum memoria etiam in plumbo exstaret, idque homines monetae adhiberent loco? Denique provocamus ad praecipuum numophylacii Molaniani ornamentum, Antinoi numum, cuius iam supra facta est mentio, quemque non stanneum esse, ut IOH. HENR. EGGELINGIVS perhibet, sed ex plumbo, et eo quidem, quod veteres album vocabant, conflatum, adfirmant, qui hocce cimelium attentius sunt contemplati. Inter omnes constare, arbitror, quanto nisu hocce numisma oppugnaverit IOH. REISKIVS, ut, si ullo fieri posset modo, illud adulterinum esse, nec pretii ullius, probaret. At, quo successu, non ignoramus; eo nempe, ut, se errasse, ingenue fateretur; postquam ipsi ostensus fidei haud sublestae aereus, eadem forma signatus, quem, ex Morea allatum, beatus Luccensium praesul suum fecerat (i). Habet hic numus nihil, quod ipsum reddere potest suspectum,

(g) Lib. saepius citat. Cap. V. pag. 34. sq. cap. 23.

(h) Vide SVETONIVM in *Nerone*, Cap. XXXV. et TACITVM *Annal.* lib. XV.

(i) Vid. *Celeb. viror. epistolas de re numismatica ad* ZACH. GOEZIVM, pag. 3.

ctum, praeter legendum, uti vocant, seu adversae partis inscriptionem, quam ita edidit EGGELINGIVS: OKTIΛΙΟΣ MAPKEΛΛΟC OPETC TOT ANTINOOΣ. Quum enim monetarius Sigma modo hac forma Σ, modo autem figura lunae falcatae c pinxerit; praeterea, OPETC scripserit, pro O IEPETC; ac denique, pro TOT ANTINOOT, usurpaverit TOT ANTINOOΣ: adeo vitiosa haec scriptura visa est REISKIO, ut, numum spuriis annumerandum esse, decerneret. Quid? quod eadem etiamnunc prohibetur IOH. FRID. BORCHMANNVS, senator Cellensis, vir in re numismatica litterate peritus, qui nobis propediem accuratam numophylacii Molaniani recensionem exhibebit, quominus, hunc plumbeum inter numos haud dubie sinceros recensere, audeat. Hanc vero inconstantem erroneamque scribendi rationem haud tanti esse arbitramur, cur propter eam fides huius numi vacillet. Supersunt ex illo ipso, quo cusus est, saeculo, monumenta, in quibus sibilans alphabeti Graeci littera nunc ut C Latinorum formatur, nunc vero veteri delineatur modo Σ. quorum tamen vetustatem propterea in dubium haud vocant viri, in orbe antiquo versatissimi. Sic in Ancyrana inscriptione, quam, post IAN. GRVTERVM (k), longe emendatiorem edidit orbis eruditi maxime venerabilis Nestor, BERN. DE MONTFAVCON (l), qui studiis nostris, quod grati agnoscimus, non vero satis praedicabimus unquam, favet, eademque, quibuscunque modis hactenus potuit, promovit, legitur: ΠΡΕCΒΕΤΣΑΝΤΑ; et iterum: ΑΓΩΝΟΘΕΤΗCΑΝΤΑ ΔΙΣ; et tertio: CΕΒΑΣΤΟΦΑΝΤΗΝ. Argumentum, quod inde sumimus, pro asserenda numismatis Molaniani sinceritate, tanto maioris censeri debet ponderis, quo disertius auctor huius lapidis indicat, eum, non diu multo post numum hunc signatum, Antoninorum, et fortassis M. Aurelii, aetate fuisse dedicatum. Verum, praevideo, fore quosdam, qui propterea negabunt, marmor hocce caussam defendere posse Antinoi plumbei, quoniam ingenti exemplorum

 rum

(k) In *Corpore inscriptionum*, pag. CCCCX. num. 3. et pag. CCCCXV. num. 1.

(l) *Palaeographiae Graecae* lib. II. cap. 6. pag. 158.

rum copia queat demonſtrari, lapidarios veterum hodiernis lithotomis imperitia haud cedere, immo ſumma imis miſcuiſſe. Hi vero contemplentur velim numum argenteum, notae optimae, atque a GISBERT. CVPERO (m) ex tenebris protractum, in quo, circa eiusdem catamiti caput, legitur: ANTINOOΣ ΔΙVΟC; ſic, ut non ſolum Sigma modo forma repraeſentetur ſemicirculari, modo autem, more antiquiſſimo, ſcribatur Σ, ſed etiam v Latinorum retineatur loco OΥ. Quae monumentorum convenientia quodammodo docet, ſaeculo poſt Chriſtum natum ſecundo, utramque ſpirituoſam litteram pingendi rationem promiſcue fuiſſe uſurpatam. Quod vero attinet ad OPEYC, quod pro O IEPEYC eſt poſitum, metuo, ne pro littera P, quam EGGELINGIVS edidit, ipſe numus legendum exhibeat I, ſic, ut ſcriptum ibi ſit OIEYC. Ad quam coniecturam capiendam ducor numiſmate argenteo, in eiusdem Antinoi honorem cuſo, qui gazam Schwartzburgicam quondam ornavit atque publici factus eſt iuris ab IMMAN. WEBERO (n). In hoc enim, qui, ſive imagines reſpicias, ſive inſcriptionem contempleris, ſive litterarum conſideres ductus, noſtro eſt ſimillimus, vox O IEPEΥΣ, ſcripturae compendio eodem, OIEYC exprimitur. Hoc igitur numo, quem, iudice eodem viro doctiſſimo, νοθείας nemo facile accuſaverit, egregie confirmatur plumbei Molaniani ſinceritas. Neque hunc ſollicitandum putaverim propter inſolitam nominis ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΣ formam, quam ſimiliter obſervamus in modo laudato argenteo. Quot enim monetariorum errores ſagaciſſimus ERASM. FROELICHIVS (o) deprehendit in illis etiam numis, qui ne minimum quidem vetuſtatis dubium peritis movere poſſunt? Plura nunc proferremus exempla plumbeorum numiſmatum, quorum conteſtata eſt antiquitas, quosque, in commercio uſum ha-

(m) Vide viri huius, de omni re antiquaria longe meritiſſimi, *Numiſmata antiqua explicata*, quae ſubiecta ſunt *Conſecrationi Homeri*, pag. 243 ſq.

(n) In *Antiquitatibus Antinoi*, pag. 34.

(o) In *diſſertat. de numis, monetariorum veterum culpa, vitioſis*, quae ultimum occupat locum inter eius *Tentamina in re numaria vetere*, Viennae Auſtriae, 1737. 4. edita.

habuisse, putamus: in hasce oras nostras si iam essent perlatae antiquitates plumbeae, quas virum annis meritisque conspicuum et in universo orbe antiquo longe peritissimum, FRANCISC. FICORONIVM (p), hoc ipso anno, edidisse, novellae litterariae (q) nuper nuntiarunt. Sed, quae inde depromi fortassis poterunt, ad sententiam nostram amplius comprobandam facientia, quaeque pugnant contra opinionem viri huius doctissimi, arbitrantis, universos numos plumbeos, in ludis publicis, tesserarum loco fuisse adhibitos: ea, ubi nacti fuerimus hunc thesaurum, alia explicabimus occasione. In praesenti sufficiant, quae generatim disputavimus de plumbi veteris sinceritate et usu. Restat nunc, ut paucis etiam nostri numismatis demonstremus ingenuitatem. Manifestam hanc facere existimamus trigam aereorum, nostro simillimorum, quam capite superiori recensuimus. Et, quum, hanc ipsam trigam in commercio olim fuisse, in dubium nequeat vocari: non videor mihi a veritate aberrare, si, plumbum quoque, iisdem imaginibus insignitum, monetae usum praestitisse, habeam persuasum. Praeterea, pro nostri numismatis antiquitate militat, et fortissime quidem, locus, ubi est repertum; qui profecto ita est comparatus, ut de impostura hic facta nemo cogitare queat. Quis enim numum fabrefecerit atque in Mumiarum reposuerit cryptis? De Arabibus fortassis quidam? Crederem, libenter nasum suspenderet Europaeis natio, lucri cupidissima; si sciret, quantum pretium nostrates constituere solent plumbeis, simul vero artem numos, ad verorum speciem fingendi a IOH. CAVINO, aut alio falsario didicisset. At, inquies, fraudis auctorem potius esse unum ex popularibus nostris, numismatices veteris peritum, qui, ut fucum faceret aliis, Mumiae eum adiecerit. Verum, qui sperare ille poterat, fore, ut numum olim recipiat: quum Arabes cryptas

 illas

(p) Integer operis egregii titulus est: I *Piombi antichi, opera di* FRANCESCO DE FICORONI, *dedicata alla Santità di nostro Signore Papa Benedetto* XIIII. In Roma, 1741. 4.

(q) Vide *Nova litteraria Regensburgensia* huius anni, pag. 128. sq.

illas summa custodiant sollicitudine? Et, quare oblitus est, eum ab Arabibus redimere? Nonne debebat metuere, ne Arabes, conspecto metallo vilissimo,numum abiicerent, aut, qui eum ex nostratibus nancisceretur, contemneret atque ad tenebras damnaret aeternas, sicque eius opera omnis periret? Denique videmus in numismate nostro summae antiquitatis signa, adeo manifesta et sincera, ut, simulac sub aspectum venerit viris, aeris vetusti gnaris, non possit non pro veterum hominum opere agnosci. Adest in eo ora extima rugosa, nec aequalis, ita tamen, ut eius rotunditas sit servata, quam, quum nulla recentiorum ars queat imitari, merito antiquarii indicium numismatis genuini reputant clarissimum (r).

(r) Vid. EVCHAR. GOTTL. RINCKIVS loc. citat. cap. XVI. pag. 113. sq.



CAPVT

CAPVT IIII.

Numismatum pretia augentur usu, quem, praeter ordinarium, extra commercium habuerunt. Numus, Augusti et M. Agrippae capitibus insignis atque in Nemausensi colonia cusus, pro tessera inter amicos absentes olim usurpatus. Plumbeus noster Mumiae, cui fuit adiectus, usum praestitit peculiarem. Sepelire cum mortuis numulum solebant, exceptis Hermionensibus, Graeci universi, Romani, Galli, Aegyptii et Christiani cum primaevi, tum etiam recentiores. Vocabatur sepulcrale illud numisma aes, πορθμήϊον, τὰ πορθμία, ναῦλος, *naulus. Subinde dicebatur* δανάκη, *cuius vocabuli origines non in Persia, sed apud Macedones, quaerendae. Apud Suidam audit* καρκάδοντα; *cuius vocabuli, eruditorum iudicio, male sani, emendatio tentatur. Galli veteres talem numum dari dicebant* ISPORON, *aut* ISTILLV; *quae voces obscuriores explicantur. Iac. Martini de illorum significatione sententia improbatur. In Graecia istiusmodi numisma obolum valebat. Nisaeensium numus illustratus. Romani suorum cadaveribus trientem iungebant. Aristophanes et Apuleius explicati. Nat. Comes et Ant. Bannierius castigati. Illud numisma in os cadaveris indebatur, simulac anima abiisset, post combustionem in urnulam sepulcralem iniiciendum. Alias mortuo, qui humandus, in manum dabatur dextram. Affigebatur subinde monumenti sepulcralis parieti, aut in ipso deponebatur capulo. Veteres ferme omnes perhibent, numum mortuo fuisse dandum, ut Charontis remunerariis posset laborem. Aliter sensisse videtur ritus istius auctor. Alii in Aegypto rei huius quaerunt originem, quam vero antiquorum doctrinae de anima, post mortem, variis utensilibus et argento opus habente, debet. Vestimenta, arma, et alia cum mortuis cremata, vel sepulta. Canes, equi, mancipia et concubinae ad bustum iugulabantur. Pecunia quoque bene multa tumulis condita. Hinc fabula de naulo, Charonti solvendo, nata.*

nata. Plumbeus noster funeri medicato adiectus, ut Stygio portitori cederet, simulque chronologicus esset character Imperatoris, sub quo Aegyptius ille obiit.



Illustrem inter antiqui orbis reliquias locum merito occupant numismata, quae, praeter ordinarium, quem in commercio habuerunt, usum, extraordinarium quoque priscis hominibus praestiterunt; licet alias trita sint parvique pendantur. Ita numus, magnitudinis mediae et aereus, in Galliae Narbonensis colonia Nemausensi signatus, qui hinc Augusti et M. Agrippae capita aversa laureataque, cum inscriptione: IMP. DIVI F. inde vero crocodilum, catena palmae arbori alligatum, addita epigraphe: COL. NEM. sistit, quum frequenter admodum occurrat, non magno est parabilis. Maximi contra idem numus, in antiquariorum scholis, aestimatur, quum ea ratione olim fractus reperitur, ut dimidia dextra Augusti, sinistra autem Agrippae vultum illaesum exhibeat. Tale enim eius exemplar ritus illustrat hospitum discedentium, inter quos pro arrhabone, sive amicitiae tessera fuit usurpatum; sicuti ostendit IOH. IAC. CHIFLETIVS (s). Plura huius generis exempla in medium nunc producerem, nisi decrevissem, hanc ipsam materiam de usu numismatis veteris extraordinario, Deo vitam, vires et otium largiente, singulari libello, perpolire; atque haberem persuasum, unicum, quod attuli, sufficere ad evincendum, plumbeum nostrum propterea etiam dignum esse, cui pretium constituatur haud parvum, quoniam cadaveri Agyptiaco, ad cuius latus alterum depositum invenerunt Arabes, usum praestitit plane peculiarem. Qui ut eo patescat magis, simulque numismatis nostri dignitas amplius commonstretur, priscorum hominum consuetudinem cineribus vel cadaveribus hominum numum adiiciendi

plu-

(s) In *Anastasi Childerici I. Francorum regis*, cap. IIII. pag. 64. sq. Conf. IAC. PHILIP. TOMASINVM *de tesseris hospitalitatis*, Cap. XXVIII. pag. 202. edit. Amstel.

edifferere, operae omnino erit pretium, immo officii noſtri pars minime poſtrema. Secuti autem ſunt hunc morem antiqui orbis populi complures. Vt ab illis faciamus initium, qui omnium litterarum praeclari fuerunt cuſtodes, Graecis nempe, hos ſuorum cadaveribus numulum adiecisſe, cum conſtare debet etiam inter illos, qui nobiliſſimae huius gentis ritus vel primoribus labris deguſtarunt, tum ex infra dicendis fiet manifeſtum. Non univerſa tamen Graecia conſuetudo illa increbuerat. Alienos enim ab ea fuiſſe Hermionae, oppidi in Argolide, et quidem ad ſinum Argolicum, ſiti, habitatores, teſtimonio ſunt hi CALLIMACHI (t) verſiculi, quos, in Etymologico magno depravate editos (u), prout eos ISAAC. CASAVBONVS (x) emendavit, adſcribimus:

Τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήϊον οὔτι φέρονται
Μούνῃ ἐνὶ πτολίων, ὅγε τέθμιον οἴσεμεν ἄλλους,
Καὶ στομάτεσσι νεὼς Ἀχερουσίας ἐπίβαθρον.
Δανάκης.

Quamobrem et mortui naulum non ferunt
In ea ſola urbium: quod inſtitutum eſt alios ferre
In ore, pro nave Acherontica conſcendenda
Mercedem

STRABO, rationem redditurus, cur Hermionenſes hoc tributo fuerint liberati, ſcribit (y) Παρ' Ἑρμιονεῦσι τεθρύλληται, τὴν εἰς ἅδου κατάβασιν σύντομον εἶναι· διόπερ οὐκ ἀντιθέασιν ἐνταῦθα τοῖς νεκροῖς ναῦλον. *Dicitur apud Hermionenſes brevis ad inferos eſſe deſcenſus: quapropter ibi naulum mortuis non imponitur.* Quem locum, paullo obſcuriorem, plane paullo ante laudatus, ISAAC. CASAVBONVS (z) ſic illuſtrat: *Hermionae fuit Ditis oſtium, ſive terrae hiatus altiſſimus: vulgo* ψυχοπομπεῖον *dicebant: putabant enim, animas fato functorum per illud foramen recta ad in-*

(t) *Fragment.* CX. pag. 361. edit. Theod. Graevii.

(u) Vocabulo, Δανάκης.

(x) In *Notis ad* STRABONIS locum, mox citandum.

(y) *Geographic.* lib. VIII. pag. 573. edit. Almeloveen.

(z) In *Lectionibus Theocriticis*, Cap. IIII. p. m. 250.

inferos pervenire: ideo, nauli gratia, obolum non inserebant ori suorum mortuorum. SVIDAS (a) contra perhibet, Cererem illud privilegium irrogasse huius oppidi incolis, quod illorum indicio de filiae raptu, et quonam illa pervenerit, certior fuerit facta. Ἐν Ἀιγιαλῷ, inquit, *καταβάσιόν ἐστιν ᾅδου, ἐς ὃ ἀπελθοῦσα ἡ Δημήτηρ ἔμαθε παρὰ τῶν περιοίκων περὶ τῆς Κόρης, καὶ ἐδωρήσατο αὐτοῖς ἄφεσιν τοῦ πορθμηΐου. Aegiali est descensus ad inferos: ad quem quum Ceres pervenisset, ex accolis* (Hermionensibus) *cognovit, ubi Proserpina esset. Quare naulum ipsis remisit.* Vt ut haec fuerint; quemadmodum Hermionenses Graecorum soli huius consuetudinis lege non fuerunt adstricti: sic eorum populares eundem morem, cum aliis institutis compluribus, ad Romanos transmiserunt. Nam in urbe, Latio ceterisque regionibus, in quas Quirites deduxerunt colonos, neminem facile pro funere fuisse elatum, quin secum abstulerit numulum, post cadaveris ipsius combustionem, una cum cineribus, urnulae sepulcrali iniicendum, tanta testimoniorum et exemplorum copia ostenderunt IOH. IAC. CHIFLETIVS (b) et MELCH. GOLDASTVS (c), ut laborem susciperemus prorsus supervacaneum, si idem amplius vellemus comprobare. Nec minus inter antiquioris Galliae incolas usu fuit receptum, vita fatisque functis numulos dare, ad Charontem perferendos. Sic, anno superioris saeculi duodecimo, quum in veteri Comitum Andegavensium palatio demoliendo occupati essent operarii, inventa sunt cadavera duo, uno eodemque sepulcro inclusa, quorum alterum Germanici, alterum vero Magnentii, tyranni, numisma dextra manu tenebat. IAC. quidem MARTINVS (d), illud non modo Galliae eruditae, sed universae etiam litterariae reip. lumen, hos Celtarum esse sceletos, negat, non alio autem nixus fundamento, quam quod, perperam, uti ex infra dicendis apparebit, existimat, maiores suos consuetudinem, de qua agimus, haud observasse. Eidem viro doctissimo

(a) Voce, πορθμήϊον.

(b) In *Descriptione Vesontionis*, Part. I. Cap. 26.

(c) In *Notatis ad Columbani, Abbatis, carmina*, pag. 93. 94. Conf. HENR. KIPPINGII *antiquitatt. Roman.* Lib. IIII. cap. 6. §. 5.

(d) *La religion des Gaulois*, liv. V. chap. 7. pag. 275.

ſimo Aegyptii quoque veteres videntur hunc morem ſecuti, quippe qui demortuorum faucibus iniecerint auri fruſtum, quod hodieque in Mumiis reperiatur. Eſt autem, quod metuam, ut hac ratione abunde ſatis probaverit MARTINVS, quod, ipſa fundatum eſſe veritate, novimus. Quantum enim memini, ſemel tantum, in Mumiae nempe, quam Vratislavienſes aſſervant, ore repertum eſt, ex puriſſimo auro, folium, complicatum, crenis conſpicuum, ac tantae tenuitatis, ut pondere decem tantum grana exaequet. Hoc igitur nemo naulum reputaverit: ſicuti nec pro tali obtruſit, qui funus illud medicatum accurate deſcripſit, ANDR. GRYPHIVS (e). Quod vero hinc probari poteſt minime, illud extra omnem dubitationis aleam ponit cum numus noſter plumbeus, quem cadaveri Aegyptiaco adiectum fuiſſe, diximus, tum alius, Heliopolitarum iuſſu, ut videtur, ſignatus, quem, ex Mumia ſimiliter protractum, poſſedit IOH. PETR. BELLORIVS, aeri vero inciſum exhibet IOH. BERNH. FISCHERVS (f), a quo mutuo ſumtum hic tanto libentius contemplabuntur lectores, quo eſt elegantior rariorque, quoque magis ad hanc noſtram facit diſputationem.



Radicibus adeo altis in priſcorum hominum animis defixa erat haec conſuetudo ridicula magis, quam impia, ut ne illi quidem eam depone-

(e) In libello *de Mumia Vratislavienſi*, pag. 45. ſq.

(f) In *dem Entwurf einer hiſtoriſchen Architectur*, Lib. I. tab. 10.

ponerent, qui, relictis sacris superstitiosis, ad veram salutaremque transiverant religionem. Sub Christianismi enim primordia solemne illud adhuc esse servatum ab ipsis puriorem doctrinam profitentibus, immo in illorum etiam sepulcris, qui caelestem veritatem suo obsignarunt sanguine, numos esse depositos, et hodieque reperiri, testatur diligentissimus antiquitatum Christianarum scrutator, PAUL. ARINGHUS (g), inter alia ita scribens: *Nuper intra coemeterialem alterius Marii Ianuariani, martyris, tumulum aeneum quoddam Iuliae Augustae, quae Severi quondam Imperatoris coniux fuit, numisma, egregio quidem artis opere exsculptum, latebat. Vestae sacrificium ex altera facie contemplandum exhibet.* Et paucis interiectis pergit: *Fideles enim, in tumulandis sanctorum martyrum exuviis, Imperatoris quoque, sub quo martyrio iidem coronati fuerant, iuxta illos numismata studiose reponere, consueverant.* Quid? quod tantum abfuit, ut consuetudo illa, vetustate, exoleverit, ut potius quam diutissime inter Christianos superfuerint, qui eam, veteri instituto atque exemplo, religiose observarunt; quemadmodum ex illis licet intelligere, quae CHRIST. EHRENFR. SEYFFERTUS in litteras retulit (h): *Eruti nuper in coemeterio Palaeo-Dresdensi tres numi, in oribus defunctorum latitantes, quorum unus grossum Bohemicum, alter ternarium Brandenburgicum, et tertius monetam Saxonicam, non adeo vetustam, numum scilicet Saxonicum, referebat.* Mitto iam alia, huc spectantia, exempla, quae desideranti suppeditabit partim laudatus modo SEYFFERTUS (i), partim GOTTLOB. LEHMANNUS (k). A variis autem, quae nummum hunc sepulcralem circumstabant, rebus varias idem, in Graecia Latioque, sortitus est appellationes. Generali *aeris* nomine designatur a PROPERTIO (l).

Vbi

(g) In *Roma subterranea novissima*, lib. VI. cap. 23. pag. 299. b.

(h) *Tract. de numis, in ore defunctorum repertis*, Cap. I. §. 8. pag. 66.

(i) Loc. citat.

(k) Im *Eilfertigem Bedencken über einigen Rendesburgischen Naulis, oder Danicis*, Cap. III. pag. 23. sqq.

(l) Lib. IIII. eleg. XI. v. 7.

Vbi portitor aëra recepit,

Obſerat herboſos lurida porta rogos.

Sunt, qui hunc verſum recitant, quum firmare ſatagunt, ſemper aereos, nunquam alius metalli, numos cadaveribus veteres adieciſſe. Cui vero interpretationi quum obſtet numus noſter, eandemque infirment exempla alia: propius a veritate aberrabunt, qui *aera*, nobiscum, de numis quibusvis, ex vilioribus tamen metallis conflatis, exponent. Alias dicebatur πορθμήϊον, τὰ πορθμία et ναῦλος. Primum vocabulum occurrit apud SVIDAM (m), ſecundum vero apud LVCIANVM (n), qui Charontem, ita Menippum alloquentem, introducit: Ἀπόδος, ὦ κατάρατε, τὰ πορθμία. *Solve, ſceleſte, vecturae praemium.* Tertio uſus eſt ARISTOPHANES (o):

Ἔκβαιν', ἀπόδος τὸν ναῦλον - -

Egredere, et ſolve vecturae mercedem - -

Huic poſtremo nomini Graeco accurate reſpondet Latinorum *naulum*, quod apud IVVENALEM legitur (p):

- - - *Furor eſt poſt omnia perdere naulum.*

Quem locum, varie a variis interpretibus explicatum, EILH. LVBINVS (q), noſtro iudicio, maiori veroſimilitudine, de numulo exponit ſepulcrali. Tracta vero ſunt, quae hactenus recenſuimus, nomina ex veterum perſuaſione, illud numiſma portitori infernali, Charonti, pro Stygiae paludis transmiſſione, eſſe perſolvendum. Alias δανάκη dicebatur; quemadmodum dubitare ſinunt neminem ſcriptores vetuſti, quos teſtes excitaverunt MATTH. HOSTVS (r) et IOH. NICOLAVS (s). Quaerenti iam ex veteribus, quaenam ſit huius denominationis origo, IVL. POLLVX (t) reſpondebit: Τὸν δανάκην εἶναί τινές φασι νόμισμα Περσικόν.

(m) Voce, πορθμήϊον.

(n) In *Dialogis mortuorum*, Opp. Tom. I. pag. 308.

(o) In *Ranis*, v. 272.

(p) *Satyra* VIII. 97.

(q) Vide *Iuvenalis*, cura HENR. CHRIST. HENNINII Lugd. B. 1695. 4. editus, p. 835.

(r) *Rei numariae veteris* lib. III. cap. XI.

(s) *De luctu Graecorum*, cap. IIII. pag. 43. ſq.

(t) *Onomaſtici* lib. VIIII. ſegm. 82.

Danacam nonnulli numiſma eſſe aiunt Perſicum. Equidem non ignoro, in hodierna Perſarum lingua, دانکی dici ſextam denarii partem (u), atque inde Talmudiſtas ſuum דנקא, quo ſimiliter obolum deſignant (x), accepiſſe: nihilominus tamen adſtipulari malim HERACLIDI, Cumano, ſecundo rerum Perſicarum libro, apud Etymologum (y), quem vulgo magnum dicunt, hocce vocabulum Graecis vindicanti. Immo tanto minus me poenitet huius HERACLIDIS eſſe ſententiae, quo vero eſt ſimilius, eum Danacam inter Perſica numiſmata recenſuiſſe, ſi, inde illud accepiſſe Graecos, noviſſet. Arbitratur autem, numum ſepulcralem appellari δανάκην, quia datus fuerit τοῖς δαναοῖς, *mortuis.* Scite dudum obſervavit FRID. SYLBVRGIVS, hanc vocem, librariorum culpa, corruptam, ea ratione eſſe emendandam, ut in poſterum, extruſo α, legamus τοῖς δανοῖς. Acute, inquam, arguteque de hoc loco, in priſtinam ſanitatem reſtituendo, coniecit SYLBVRGIVS; licet, quo fundamento ipſius nitatur ſententia, haud indicaverit. Firmatur autem illa his PLVTARCHI (z) verbis: Ἐκεῖνο φιλολόγον καὶ οὐκ ἀηδὲς, ὅτι ῥιγεδανὴ, κακοθάνατός ἐστιν, εἰδέναι. δάνον γὰρ Μακεδόνες τὸν θάνατον καλοῦσι. *Eruditum eſt, neque inelegans, ſcire,* ῥιγεδανὴ *denotare malam mortem afferens. Macedones enim* δάνον *mortem nominant.* Quem Chaeronenſem philoſophum et hiſtoricum eo minus piguit nos teſtem heic excitaſſe, quoniam cauſſam indicat, qua adducti, calculum adiecimus critico, modo laudato, atque praeterea certiores nos reddit de vero vocis δανάκου loco natali. Idem Charontis vectigal Graeciae incolas appellaſſe καρκάδοντα, auctorem habemus SVIDAM (a). Nam, καρκάδοντα, inquit, λέγεται Χάροντος δάνειον, συναγόμενον ἐκ τοῦ ὀβολοῦ τοῦ συγκηδευομένου τοῖς τελευτῶσιν. οὐχ ὡς ἔνιοι πλανώμενοι βοτάνης ὄνομά φασιν εἶναι; καρκάδοντα *vocatur Charontis vectigal, collectum ex obolis, qui, una cum mortuis, ſepeliebantur. Non eſt autem herbae nomen, ut*

(u) Vid. IACOB. GOLII *lexicon Arabicum,* coll. 871.

(x) Vid. IOH. BVXTORFII *lexicon Talmudicum,* col. 558.

(y) Vocabulo, Δανάκης.

(z) In libello, *Quomodo adoleſcens pöetas audire debeat,* pag. 22. C. edit. Paris.

(a) Voce, Καρκάδοντα.

ut quidam falso putant. Sollicitos hic locus habuit viros, ceteroquin in Graecia veteri nequaquam hospites, sic, ut professi sint ingenue, se nec quicquam invenisse, quo eius corrigerent menda, nec etiam vocabuli istius ignoti indagare potuisse originem. *Novitas verbi,* inquit IAC. GVTHERIVS (b), *quod vix alibi invenitur, mihi suspicionem iniicit corruptae lectionis, nec occurrit, quod reponam. Consulendus Apollo, dum scimus, portorium illud Charonti dari, ut ad ulteriorem ripam navicula deduceret commeantes.* Nec aliter sentit verus huius lexicographi Aesculapius, LVDOLPH. KVSTERVS. Quamvis enim et ipsi subboluisset, vitiis esse inquinatum hunc versiculum, opemque, si fieri posset, laturus SVIDAE, laboranti, consuluisset tam PHOTII lexicon ineditum, quam duos manu exaratos codices, qui Lutetiae Parisiorum asservantur, atque ibi pro καρκάδοντα, quod vulgares editiones exhibent legendum, καρκάδονα scriptum invenisset: tamen haud negat, *harum lectionum utra praeferenda sit, haud facile dictu esse, quoniam; de voce illa nihil alibi se legisse, meminerit.* Interim tamen, si, post horum, criticae artis, immo omnis antiquitatis, litterate peritorum, virorum irritos SVIDAE opitulandi conatus, meo quoque ingenio, quod tenue mihi naturam tribuisse, non diffiteor, experiri licet, num quid medelae ac lucis adferre valeat isti voculae: dixerim ego, apud PHOTIVM et in Parisiensium manuscriptis, in consilium a KVSTERO adhibitis, multo emendatius scribi hocce vocabulum, quam in vulgaribus editionibus occurrit. Ducor nempe ad suspicandum, ab ipso SVIDA in litteras esse relatum: καρκηδεῖα, vel καρκαδεῖα; ex quo oscitantes librarii, quos notum est, ει frequenter corrupisse in ο, atque ν loco inseruisse alienissimo (c), fecerunt καρκάδονα; unde tandem, addito τ, enatum est corruptissimum vocabulum καρκάδοντα. Denotat autem καρκαδεῖα *mercedem sepulturae,* sive illud, *quod pro funeratione* dabatur, Charonti nimirum, cuius offi-

(b) *De iure manium,* lib. I. cap. 17. pag. 104. edit. Lipsiens.

(c) Vid. GVIL. CANTERI *syntagma de ratione emendandi auctores Graecos,* Cap. I. & II.

officium erat defunctorum animas tenebris ſepelire aeternis. Compoſitam enim arbitramur hanc dictionem ex κὰρ et κηδεία, vel καδεία, quorum vocabulorum prius *mercenarium* ſignificare, docet HESYCHIVS (d), dum illud Homericum (e), καρὸς αἴσῃ, explicat per μισθοφόρου μοίρᾳ, et propterea quidem, quoniam Cares primi mortalium fuerunt, qui ſe aliis, pro mercede, elocaverunt. Poſterius vero κηδεία, vel καδεία, quod eſt a κήδω, κηδεύω, κάδω, verbis, inter alia etiam ἐνταφιάζειν, *ſepelire*, ſignificantibus, lexicographi de *funeratione* interpretantur. Verum, quae de medicina, SVIDAE, laboranti, afferenda, hactenus diximus, ea coniectura tantum ſumus conſecuti: quapropter nec arcte, eadem tenebimus, nec defendemus mordicus. Quid? ne quidem in medium haſce divinationes protuliſſemus, niſi fuiſſemus arbitrati, dubia etiam ſubinde eſſe proponenda, ut exercitatiores occaſionem naſciſcantur ea vel ulterius probandi, vel, iisdem reiectis, meliora docendi. Apud veteris Galliae habitatores numulus ille ſepulcralis dari dicebatur ISPORON, vel ISTILLV. Quas voculas, in duabus incunculis obſervatas, ſplendidiſſima non modo congregationis S. Mauri, ſed totius etiam eruditi orbis ſidera, BERN. DE MONTFAVCON et IAC. MARTINVS, adeo perſpicue ſunt interpretati, ut obſcurae amplius eſſe queant nemini. De altera ita commentatur ſenex ille, nunquam, niſi honoris cauſſa, nominandus (g): „Quoique ces lettres ſoient Latines, il pourroit bien ſe faire que les „mots ſoient Grecs, εἰς πόρον, *ad tranſitum*, *pour le paſſage:* ce qui vi„endroit fort bien au ſujet; cela marqueroit le paſſage de l'ame aux „Enfers: car pluſieurs nations croyoient ce paſſage tout de même que „les Grecs et les Romains. Il eſt à remarquer que les Inſcriptions „Grecques prennent ſouvent ει pour ι, et que les Grecs du moins en „certain tems mettoient indifféremment l'un pour l'autre. Nous en „avons vû ci-devant des exemples, comme MENI pour μένει, συνοδείτης „pour συνοδίτης, μεικροῦ pour μικροῦ: cela ſe trouve fréquemment dans les

(d) Lemmate, καρὸς αἴσῃ.

(e) *Iliad.* lib. VIIII. v. 378.

(f) *Antiquité expliquée*, Tom. I. Part. 2. pag. 191.

„les quatre premiers ſiécles de l'Empire, où l'on prononçoit αι com-
„me ε: nous avons vû ci-devant ὀδοιπορῖες pour ὀδοιπορίαις. La lettre ι
„ſe liſoit pourtant en ces tems, et même dans des tems plus bas, par
„ε; comme nous voyons dans le dernier de ces mots ſi ſouvent répé-
„tez, ſur-tout dans les anciens verres PIETE, ZESETE, qui expri-
„ment ces deux mots Grecs πίετε, ζήσετε, *beuvez et vivez*; nous en a-
„vons vû des exemples, et nous en pourrions produire un grand nom-
„bre d'autres. Il y a donc aſſez d'apparence que ces deux mots ſe
„doivent lire εἰς πόρον, *pour le paſſage*, et que cela ſignifie pour le paſ-
„ſage de l'Enfer, dont nous avons parlé au long ci-devant.„ Alte-
„ram ita explicat IAC. MARTINVS (g):„ Je ne balance donc pas à
„croire que ISTILLV ne ſoient vraiment deux mots Gaulois, mais
„dont la ſignification eſt celle de ces deux Grecs εἰς τέλος, *ad tribu-*
„*tum, ad vectigal, pour le tribut.* J'ai dit pluſieurs fois que nos Peres
„parloient l'ancien Grec, avec les changemens que le tems et le com-
„merce au dehors ne manquent jamais d'introduire. Si je n'avois déja
„donné des preuves de cette conſtante vérité, ces deux Inſcriptions ſeu-
„les ſuffiroient pour la mettre dans tout ſon jour; puiſque la premiere
„eſt toute pure Grecque; et *Tillu* eſt viſiblement le τέλος des Grecs;
„au lieu duquel les bas Bretons diſent *Tellou*, ſur lequel nous avons
„formé le terme de *Taille*, qui a la même ſignification.„ Quam dilu-
cide doctiſſimus MARTINVS obſcuras haſce dictiones explanavit,
tam dubia videtur eius de uſu argenti, a Gallis εἰς πόρον, aut εἰς τέλος
dati, ſententia. Inſumtum illud arbitratur in Veneris inferae, vel Li-
bitinae imagunculas, una cum Celtarum cadaveribus, ſepulturae tra-
dendas. Haec enim, nec immerito, in ambiguis collocantur; quando-
quidem, ullo idoneo argumento adhuc demonſtratum eſſe, haud memi-
nimus, Celtas in deorum ſuorum numero Venerem quoque repo-
ſuiſſe inferam. Inventus quidem eſt, in ſylvis Perticenſibus, lapis, ſe-
quenti notatus inſcriptione:

(g) Loc. citat. pag. 273.

DIIS INFERIS
VENERI
MARTI ET
MERCVRIO
SACRVM.

Verum, ne marmoris huius auctor, praeter Venerem, Martem et Mercurium, consecrare illud quoque voluerit diis inferis, sic, ut, singulis versibus, peculiaria celebrentur numina, propterea vereor, quoniam Martem nemo veterum Orci numinibus adscripsit. Quod ipsum non diffitetur, qui hanc inscriptionem data opera illustravit, CAROL. CAES. BAVDELOTIVS (h); cui tamen, existimanti, eam fortassis ob caussam bellorum praesidem ὑποχθονίοις fuisse annumeratum, quod, omnia sanguine caedibusque implendo, Plutonis regnum novis semper colonis auxerit, non facile fuerim assensus. Ponamus autem, veneratos esse Celtas illam Tartaream Venerem; modo maneat, quod certum est, eam haud communem habuisse cum Graecis Gallos veteres. A vero enim longe aberrat laudatus MARTINVS, quum Latinorum Libitinam Graecorumque Venerem ἀμβολογήραν, a PAVSANIA (i) commemoratam, unum reputat idemque numen. Teste enim PLVTARCHO (k), illud cognomen inde adepta est voluptatum dea, quod hominum retardare credebatur senectutem. Largiamur, inquam, illam Venerem funebrem, cum aliis moribus bene multis, a Quiritibus, quos eam coluisse novimus, in Galliam pervenisse. Neque tamen inde quicquam capiet lucri eruditissimus MARTINVS. Numi enim, Romae, ad Veneris huius aerarium, ex Servii Tullii lege, deferendi, non in imagunculas, una cum cadaveribus humandas, insumebantur, sed communi civium inserviebant utilitati, eumque in finem erant solvendi, ut, quot membra quotannis amisisset respublica, sciret magistratus. Auctorem harum rerum habemus

(h) Vide *Histoire de l'Academie Royale des inscriptions et belles lettres*, Tom. III. pag. 234.

(i) In *Laconicis*, Cap. XVIII. pag. 253. edit. Kühnii.

(k) *Symposiac.* lib. III. quaest. 6. pag. 652. D.

mus DIONYSIUM, Halicarnassensem (l): Βουλόμενος τῶν ἐν ἄστει διατριβόντων τὸ πλῆθος εἰδέναι τῶν τε γεννωμένων καὶ ἀπογινομένων, καὶ τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, ἔταξεν ὅσον ἔδει νομίσματος καταφέρειν ὑπὲρ ἑκάστου τοὺς προσήκοντας, εἰς μὲν τὸν τῆς Εἰλειθυίας θησαυρὸν, ἣν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον, ὑπὲρ τῶν γεννωμένων εἰς δὲ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων. *Cupiens urbanae multitudinis scire numerum, tum nascentium, tum morientium, tum eorum, qui togam sumerent virilem, statuit, quanti pretii numos pro singulis inferre deberent cognati; in aerarium Eileithyiae, quam Romani Iunonem vocant Lucinam, pro nascentibus; in Veneris autem, in luco situm, quam Libitinam dicunt, pro defunctis.* Hinc *venire in rationem Libitinae*, pro *mori*, dixit SVETONIVS (m); *in ephemeridem* vero, eiusdem deae, *referri*, EVSEBIVS (n). Quae quum ita sint; litteratissimus MARTINVS, pro innata ipsi humanitate, haud feret aegre, nos, hac in re, non altercandi studio, neque etiam ambitione, sed solo veritatis amore, ab ipso dissidere. Tanto credimus firmius, imagunculas illas, voculis εἰς πόρον et εἰς τέλος notatas, indicare, numulos, iuxta illas fortassis depositos, Stygio portitori fuisse exhibendos, quo propius a veritate deflectit, Celtas veteres decantatam tota Graecia doctrinam, de Charonte, animas ad Orcum deportante, atque, pro hac opera, remunerando, a colonis, ex celeberrima et politissima illa Europae antiquae regione in Galliam missis, accepisse. Sufficiat, haec de nominibus dixisse variis, quibus numum sepulcralem prisci designarunt. Explicandum nunc erit, quale quantique pretii numisma suorum cadaveribus iidem adiecerint. Vile illud fuisse oportet; quandoquidem Graeci ferme omnes, animas transvectori suo attulisse perhibent obolum; numi genus, quod duos cruciatos, ut vocant, Rhenanos, cum quarta eius parte, sive numulos nostrates septem valebat. LVCILLIVS de avarissimo Hermocrate canit (o):

(l) *Antiquitatt. Romanor.* lib. IIII. pag. 220. edit. Wechelian.

(m) In *Nerone*, Cap. XXXVIIII.


(n) In *Chronico*, ad annum 2093.

(o) *Anthologiae Graecae* lib. II. cap. 50. epigr. 7. pag. 268. edit. Wechelian.

Κεῖτο δὲ γ' οὐδὲν ἔχων ὀβολοῦ πλέον· οἱ δὲ τὰ κείνου
Χρήματα κληρονόμοι ἥρπασαν ἀσπασίως.

Iacet igitur, nihil habens praeter obolum. Ipsius vero
Facultates heredes lubenter diripuerunt.

Et, ipse nauta Stygius, quum ei, portorium efflagitanti, respondisset Menippus, eum haud quicquam esse accepturum, ab eo, qui in summa versetur egestate, quaerit, apud LVCIANVM (p) : Ἔστι δέ τις ὀβολὸν μὴ ἔχων; *An est quispiam, qui ne obolum quidem habeat?* Idem, quod ex his aliisque auctoribus discimus, firmat etiam numus aereus, Nisaeae, quod oppidum Megarensium fuit navale, signatus, atque in lucem protractus ab HVB. GOLTZIO (q). In huius area altera, ut ectypum, quod exhibemus, docet,



praeter litteram M. et vocabulum ΟΒΟΛΟΣ, repraesentatur spica, symbolum Cereris, cui, cognomento Μαλοφόρου, littera M. indicato, teste PAVSANIA (r), iuxta hunc portum, dedicatum erat templum. In altera autem sistitur homo propemodum nudus, cymbae insistens et manu porrigens numum, adscripto nomine: ΝΙΣΑΙΩΝ. Exstare in hoc aereo splendida superstitionis, de qua disputamus, vestigia, iam dudum suspicatus est vir, de litteraria non minus, quam civili republi-

(p) In *Dialogis mortuorum*, loc. citat.

(q) In *Graeciae eiusque insularum et Asiae minoris numismat.* tab. XIII. num. 10.

(r) In *Atticis*, Cap. XXXXIIII. pag. 106.

blica meritissimus, GISB. CVPERVS (s), ita tamen, ut ipse hanc suam sententiam haberet ambiguam. Non erat vero, cur vereretur vir doctissimus, ne hac sua aberraverit coniectura. Acute enim arguteque eam esse captam, abunde probat perfecta huius funerei ritus imago, quam in hoc numulo contemplamur. Primo enim, adest σκαφίδιον, ut Charontis naviculam vocat LVCIANVS (t). Deinde, hominem, scapha illa vectum, omnibus ferme integumentis nudatum, videmus; cuiusmodi vectores sibi dari cupit portitor infernalis, apud eundem Samosatensem. Denique, figura illa numum, in vecturae pretium, manu exporrecta offert. Postremo, adscriptum quoque est oboli nomen, quo veteres numum sepulcralem designasse, audivimus. Lubens itaque adstipulor CVPERO; immo parum abest, quin credam, hoc Nisaeum numisma Graecorum cadaveribus nonnunquam fuisse adiectum. Sed quicquid huius rei sit; quemadmodum obolus minima apud Graecos fuit moneta: sic quoque Aegyptios, vile numi genus huic usui destinasse, numisma, quod explicamus, facit manifestum. Plumbeum enim est, ac proinde valoris admodum exigui. Latii habitatores unicum trientem, qui tertiam assis partem valebat, pro naulo attulisse Charonti, auctor est IVVENALIS (u):

Iam sedet in ripa, tetrumque novicius horret
Porthmea, nec sperat coenosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet, quem porrigat ore, trientem.

Nec non IOHANNES SARISBERIENSIS (x): *Portitor immitis, Charon, stipe, vel triente solet esse contentus.* Hactenus autem excitatis scriptoribus, de unico tantum numo, cum cadavere quovis sepulto, testimonium perhibentibus, alii contradicere videntur, dum duorum obolorum iniiciunt mentionem. Sic enim ARISTOPHANES (y):

 Ἐν

(s) Vid. eius *numismata antiqua explicata*, pag. 234. sqq.

(t) Loc. citat. pag. 277.

(u) *Satyra* III. v. 265. sqq.

(x) *Policr.* lib. V. cap. 16. citante CVPERO, loco modo indicato.

(y) In *Ranis*, v. 139.

Ἐν πλοιαρίῳ τυννουτῳί σ' ἀνὴρ γέρων
Ναύτης διάξει, δύ' ὀβολὼ μισθὸν λαβών.
In navicula tantillula te senex quidam
Nauta traiiciet, acceptis a te, pro vectura, duobus obolis.

Et iterum (z):

ΧΑΡ. Ὦ παῦε, παῦε, παραβαλοῦ τῷ κωπίῳ.
Ἔκβαιν', ἀπόδος τὸν ναῦλον. ΔΙΟΝ. Ἔχε δὴ τὼ 'βολώ.
CHAR. Quiesce nunc, quiesce, et proiice remum:
Egredere, et solve naulum. BACCH. En! obolos cape duos.

Ita quoque, apud APVLEIVM (a), Psyche, Orci loca, tenebris obsita, aditura, iubetur, *in ipso ore duas ferre stipes.* At salva res est, nodusque, qui hinc nectitur, nullo solvitur negotio. Post veteres enim Comici laudati interpretes Graecos, eximiae eruditionis viri, TIB. HEMSTERHVIS (b) et LVDOLPH. KVSTERVS (c), observarunt, ARISTOPHANEM, dum, duos obolos Charonti datos fuisse, canit, comicam potius in ridendo libertatem, quam ipsius rei veritatem sectari, atque alludere ad iudicum Atheniensium mercedem, quae duorum fuerit obolorum. Neque Madaurensem philosophum fidem veterum, qui unum modo obolum memorant, infringere, sequentia eius docent verba, quibus diserte indicat, stipem alteram a Psyche in transitu Charonti fuisse exsolvendam; alteram vero in reditu. Manifesto hinc comperimus, quantum errorem lectoribus suis offundat NATAL. COMES (d), quum scribit: *Neque parva mercede semper contentus fuit, sed aliquando ab Atheniensium imperatoribus, ne illi aequari multitudini cogerentur, auctum est Charonti stipendium, et usque ad triobolum perventum est.* Quod peccatum, licet sit gravissimum, tamen in COMITE, toties per imprudentiam lapso, haud notassem, nisi animadvertissem, eum secutum esse virum, ceteroquin eleganti eruditione eminentem, ANTON. BANNIERIVM

(z) Ibidem, v. 271.

(a) *Metamorphos.* lib. VI. pag. 704. edit. Basil.

(b) In lucernam olentibus *notis ad* LVCIANI *colloquia selecta*, pag. 16, 17.

(c) In *Notis ad Ranarum* v. 140.

(d) *Mythologiae* lib. III. cap. 4. pag. 197.

VM (e), et ita quidem, ut errorem, ſic ſatis turpem, cumulo auxerit ingenti, ex triobolo, quem COMES nominaverat, faciendo tres numos aureos. Pergimus nunc ad inveſtigationem locorum variorum, in quibus homines priſci illud ſepulcrale numiſma reponere ſueverunt. Vt plurimum in os cadaveris fuiſſe iniectum, cum ex IVVENALE et APVLEIO modo audivimus, tum amplius hisce LVCIANI firmatur (f): Ταῦτα οὕτως ἰσχυρῶς περιελήλυθε τοὺς πολλοὺς, ὥστε ἐπειδάν τις ἀποθάνῃ τῶν οἰκείων, πρῶτα μὲν φέροντες ὀβολὸν, ἐς τὸ στόμα κατέθηκαν αὐτῷ, μισθὸν τῷ πορθμεῖ τῆς ναυτιλίας γενησόμενον, οὐ πρότερον ἐξετάσαντες ὁποῖον τὸ νόμισμα νομίζεται, καὶ εἰ διαχωρεῖ παρὰ τοῖς κάτω, καὶ εἰ δύναται παρ' ἐκείνοις Ἀττικὸς, ἢ Μακεδονικὸς, ἢ Αἰγιναῖος ὀβολὸς, οὐδ' ὅτι πολὺ κάλλιον ἦν μὴ ἔχειν τὰ πορθμεῖα καταβαλεῖν. κ. τ. λ. *Haec adeo valide vulgi animos pervaſerunt, ut, ſimulatque, familiaris quispiam mortuus fuerit, primum obolum illi in os indant, ut ſit portitori traiectionis merces, nec illud prius expendant, cuiusmodi numiſma legitimum ſit, ambuletque apud inferos, et, utrum apud illos valeat Atticus, an Macedonicus, an vero Aeginenſis obolus, neque multo eſſe ſatius, non poſſe naulum ſolvere etc.* Quem locum, licet paullo ſit verboſior, integrum tamen non piguit adſcribere, quoniam ritum hunc funebrem egregie illuſtrat. Nam, docere nos non ſolum poteſt, numiſma ori fuiſſe inditum, ſimulac quis animam efflaſſet, et antequam cadaver lavaretur; quandoquidem lotionis, nunquam omittendae, in ſequentibus demum meminit LVCIANVS, curam funerum ordine deſcripturus. Sed conſtat etiam hinc, perinde fuiſſe, quale numorum genus adhibere quis voluerit. Apud Romanos, quos ſuorum cadavera, rogo impoſita, combuſſiſſe, fugit neminem, peracta uſtione, naulum, una cum cineribus oſſiumque reliquiis, in urnulam coniectum, in ſepulcrum inferebatur; unde, cum urnulis illis, hodienum effoditur, teſte IOH. IAC. CHIFLETIO*(g). Alias etiam in manum cadaveris humandi dextram idem deponebatur; ſicuti exemplorum biga, plane paullo ante indicata

(e) *Explication hiſtorique des fables*, Tom. I. pag. 264.

(f) In libello *De luctu*, Tom. II. Opp. pag. 302.

(g) In *Deſcriptione Veſontionis*, loc. citat.

ta, facit manifestum. Subinde vero illud numisma monumenti sepulcralis parieti, ope glutinis cuiusdam, affigebatur. *Innotuere*, inquit PAVL. ARINGHVS (h), *inter perscrutandum coemeteriales tumulos, antiqua ipsorum Imperatorum numismata, quae in exteriori interdum sepulcrorum ambitu, interiecto calcis glutino, affigi consueverant* Nonnunquam in ipso capulo, ad latus cadaveris, collocabatur; quem morem tam Antonini Caracallae numulus, intra arcam sepulcralem, Viennae Austriae, ineunte saeculi superioris anno sexagesimo secundo, repertus, atque a PETR. LAMBECIO (i) descriptus, quam noster confirmat plumbeus, quippe quem, iuxta Mumiam, in sandapila, iacentem, deprehendisse Arabas, supra indicavimus. Quaerenti iam mihi de consuetudinis illius defunctorum cadaveribus numulum adiiciendi veram rationem atque originem vetusti scriptores plerique omnes ostendunt, eam propterea usu fuisse receptam, ut demortui, unde naulum solverent Charonti, haberent. Ita sentiunt auctores Graeci Latinique, quos supra produximus testes. Ita etiam perhibent alii bene multi, quos tamen hoc loco recitare supervacaneum arbitramur, idque tanto magis, quoniam res est pervulgata, atque hi auctores rem ipsam acu minime videntur tangere. Haud quidem diffitemur, illis, qui, aevo paullo recentiori, vanam sectati sunt religionem, persuasum fuisse, Stygium nautam ex numis illis sepulcralibus sibi colligere peculium. In eadem vero sententia vetustiores quoque, et inprimis huius caerimoniae auctorem fuisse, ut credam, a me impetrare nequeo. Mos enim ille iam tunc videtur inductus, quum ethnicorum theologia nondum tota ineptiis scateret, hominesque Charontem, paludem inferni et hanc traiiciendi necessitatem adhuc nescirent. Accedit, quod Aegyptii vetustiores et Christiani, quorum illi cadaverosi et squalidi portitoris officium ignorabant, hi vero ridebant salse, idem solemne circa suorum cada-

(h) In *Roma subterranea novissima*, Tom. I. pag. 295. b.

(i) *Commentar. de bibliotheca Vindobonensi* lib. I. pag. 89.

cadavera obſervarunt; qui proinde documento eſſe poſſunt, hanc funebrem caerimoniam ex fonte fluxiſſe longe alio, quam ſuperſtitioſorum theologorum pars maxima perhibet. Neque etiam propius, noſtra ſententia, ad veritatem accedunt ANTON. BANNIERIVS (k) PAVLL. LVCAS (l) aliique, qui hunc morem ex Aegypto derivant, adſtipulantes DIODORO, Siculo (m), qui, nautam, per Nilum et Acheruſiam, ſive Moeridis lacum, ad cryptas deportantem, Charontis geſſiſſe nomen, atque, in laboris praemium, accepiſſe obolum, contendit; immo, omnia Graecorum de inferis commenta apud Aegyptios prognata eſſe, adfirmat. Lubentiſſime tamen horum opinioni calculum adiiceremus album: ſi certum eſſet atque evictum, Aegyptum ſcaturiginem fuiſſe totius ſuperſtitionis, atque iſthinc ad alias emanaſſe gentes; nec argumenta in promtu haberemus, ad probandum ſatis apta atque iam alibi a nobis (n) ſtrictim recenſita, olim vero, ſi per fata licebit, uberius explicanda, quibus vero redditur ſimillimum, vanae religionis apparatum ferme omnem, dogmataque ſuperſtitioſa, ſi non univerſa, at ſaltem pleraque, occidentales, et in his fortaſſis Graecos, inveniſſe, atque deinceps communicaſſe cum populis, ſolem ſpectantibus orientem. Feliciores contra in caerimoniae huius origine indaganda eos fore, ſperamus, qui priſcorum hominum de animae humanae, poſt obitum, ſtatu doctrinam in ſubſidium vocabunt. Hominem non prorſus morte exſtingui, ſed, quamvis corpus intereat, animam tamen manere ſuperſtitem, ita credebant veteres, ut perſuaſum ſimul haberent, huic iisdem apud inferos opus eſſe rebus, quibus corpus alitur vitaque commode transigitur. Ne itaque defuncti, in Tartarea regione tenebrica, omnibus rebus deſtituti, oberrarent, veſtes pretioſae, ornamenta, arma et huius generis

 uten-

(k) Loco citato, pag. 262.

(l) *Itinerarii orientalis* lib. V. pag. 11. ſqq.

(m) *Bibliothecae hiſtoricae* lib. I. pag. 86. ſq. edit. Rhodomani.

(n) In *Diſſertatione epiſtolari de Diana* [illegible], pag. 65.

utenſilia alia nunc flammis tradebantur, nunc vero, una cum cadaveribus, ſepeliebantur. Quid? quod etiam iugulabantur, in pompa funebri, equi, canes, mancipia et concubinae, ut fato functos comitarentur. Quem morem in oriente, apud Graecos, Romanos, Gallos, Germanos, Scythas, populos ſeptem ſpectantes triones, immo per univerſum orbem antiquum, uſu fuiſſe receptum, adfirmant EZECHIEL, vates (o), HOMERVS (p), LVCIANVS (q), PLINIVS (r), IVL. CAESAR (s), HERODOTVS (t), TACITVS (u) et complures alii, quos teſtati ſunt THOM. BARTHOLINVS (x) et IOH. GEORG. KEYSLERVS (y). Eadem de cauſſa, ut nempe animae, pecuniis vacuae, ne venirent ad inferos, ſed haberent, unde reliqua, ipſis neceſſaria, poſſent comparare, auri argentique non parum tumulis inferebant veteres; ſicuti ex PLAVTO (z), PHAEDRO (a), STRABONE (b), CVRTIO (c), POMP. MELA (d), SAXONE, Grammatico (e) aliisque, a IOH. IAC. CHIFLETIO (f) excitatis, diſcimus. Qui mos, ſane veſanus, licet a decemviris (g) Imperatorumque mandatis (h) eſſet interdictus: tamen adhuc ſub principibus Chri-

---

(o) Cap. XXXII, 27. Conf. IOH. DOVGHTEII *analecta ſacra*, pag. 471. ſqq.

(p) Loca poëtae, huc ſpectantia, vide ſis apud EVERH. FEITHIVM, *antiquitatum Homericarum* lib. I. cap. 14.

(q) *De luctu*, Tom. II. Opp. pag. 303. ſq.

(r) Libr. IIII. epiſtol. 2. pag. 250. edit. Cortii.

(s) De *bello Gallico*, lib. VI. cap. 19.

(t) In *Melpomene*, Cap. LXXI.

(u) *De moribus Germanorum*, Cap. XXVII.

(x) *Antiquitatum Danicarum de cauſſis contemtae a Danis, adhuc gentilibus, mortis* lib. II. cap. 10. pag. 499. ſqq.

(y) In *Antiquitatibus ſelectis, ſeptentrionalibus et Celticis*, pag. 168. ſqq.

(z) In *Pſeudolo*, Act. I. Scen. 4. v. 19.

(a) Lib. I. fabul. 27. pag. 59. edit. Burman.

(b) *Geographic.* lib. XI. pag. 768.

(c) Lib. X. cap. 3.

(d) *De ſitu orbis*, lib. III. cap. 2.

(e) *Hiſtor. Danic.* lib. VIII. pag. 147.

(f) In *Anaſtaſi Childerici* I. Cap. III. pag. 50. ſq. Conf. THOM. BARTHOLINVS, loco citato, lib. II. cap. 9. pag. 431. ſqq.

(g) Vid. CVNR. RITTERSHVSII *dodecadeltos*, pag. 33.

(h) L. IIII. §. 6. D. *ad leg. Iuliam de peculatu.*

Christianis viguit, ita, ut necesse fuerit, illum lege nova prohibere (i). Videntur vero alii, iam aevo antiquissimo, vel quod opibus valebant minime, vel quod cogitabant, iniustum esse, cum mortuis, magnam pecuniae vim sepelire, quae viventibus fructum ferre quiret maiorem, unicum tantum eumque vilem numum, pro viatico, dedisse defunctis, ut, hac ratione, officio, quod, cognatis suis se debere, putabant, satisfacerent, simul vero rei suae familiari consulerent. Postquam autem poëtae, quibus

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas,

suam inferni picturam novis imaginibus coeperunt exornare; iisdemque consentaneum fuit visum, iam excogitatis Avernis numinibus adiungere cadaverosum et bene barbatum nautam, qui mortuorum animas ad ulteriorem transvehat ripam: fabula invaluit de mercedula, portitori illi Stygio solvenda. Quicquid vero harum fuerit rerum: illud tamen minime latere existimo, eum, qui funeri Aegyptii hominis medicato plumbeum nostrum adiecit, id eo fecisse animo, ut Charonti exhiberetur. Hoc enim confirmat doctrina de Charonte renumerando, ea tempestate, qua numus noster est cusus, a Graecis Romanisque ad Aegyptios iam perlata. Probat idem vilis huius numismatis materia; quandoquidem supra est demonstratum, non nisi minutulos et parvi pretii numos, pro naulo, fuisse solvendos. Vsurpatum autem est numisma, imperii Hadrianei anno decimo octavo signatum, ut chronologicus esset character istius imperatoris, sub quo Aegyptius ille vita excesserit. Nam, eum quoque in finem veteres, in arcis sepulcralibus, deposuisse numulos, non sine fundamento, sentiunt viri, in orbe cum antiquo, tum litterario versatissimi. Sic enim scribit PETR. LAMBECIVS (k): *Si quis porro quaerat, quae caussa sit, cur unicum hoc parvum nu-*

(i) Vid. MELCH. GOLDASTI *catholicon rei monetariae*, pag. 237.

(k) Loco, supra citato.

numiſma aereum oſſibus defuncti, in arca ſepulcrali, adiunctum fuerit, duplici potiſſimum nomine id factum fuiſſe, reſpondeo; nempe primo, ut numiſma hoc character eſſet chronologicus imperii Antonini Caracallae, ſub quo defunctus obiiſſet etc. Et plus vice ſimplici laudatus PAVL. ARINGHVS (l): *Fortaſſe numiſma aliquod, intra ſepulcri urnam, a Chriſtianis, illatum, temporum indicium praeſerebat, ſed effoſſorum incuria, aut certe avaritia, aurum furto ſublatum, lutum dumtaxat ac lapidem perſcrutantium manibus offerri contigit. Et quidem numiſmata in martyrum ſepulcris apponi conſuevere, et, hoc noſtro ſaeculo, in Caii, Papae ac martyris, ſepulcro, tria Diocletiani, ſub quo martyrio coronatus fuerat, numiſmata adinventa ſunt.*

(l) Libro, ſaepius iam indicato, Tom. I. pag. 340. Conf. Tom. II. pag. 299.



CAPVT

CAPVT V.

Anterior numiſmatis noſtri pars deſcribitur. Tituli Αὐτοκράτορος, *Imperatoris, Caeſaris et* Σεβαστοῦ, *ſive Auguſti, orbis Romani dominis proprii, ſtrictim explicantur. Hadriani nomen, etiam ſine aſpiratione, cum olim ſcriptum, tum hodie recte ſcribitur. Eundem imperatorem dicunt ſemper capite fuiſſe aperto. Duplex Iob. Harduini commentum exploditur. Corona laurea primum triumphantium fuit geſtamen, deinde vero principatus inſigne. Imperatrices quaedam laureatae. Quare imperatores, in numis, nunc laurea ſint cincti, nunc vero eadem careant, expenditur. Comam calamiſtratam mollitiem indicare et laſciviam, veteres crediderunt. Hadrianus et timidus, et libidinoſus. Capillos, ita tegentes frontem, ut ad ſupercilia usque defluant, denotare animum, ſingulari immanitate praeditum, tradunt phyſiognomi. Hadrianus natura ſaevus et crudelitate infamis. Caput plus in occiput, quam ſinciput prominens memoriam admirabilem atque ingenii vim ſingularem prodit. Vtraque animi dote inſtructus fuit Hadrianus, qui etiam omnes ferme artes eſt complexus, et earundem quasdam ſcriptis perpolivit. Oculi ſublati ſignificant animum, ad arrogantiam pronum. Hadrianus, ſuperbia intolerabilis, primus imperatorum barbam aluit.*



Explicatis iis, quae de materia uſuque numiſmatis noſtri extraordinario erant dicenda, quantumque pretium eidem ſit conſ ituendum, oſtendunt, noſtri erit officii, latus huius cimelii utrumque ita enarrare, ut, ſi non omnia, at pleraque ſaltem momenta promta fiant propoſitaque; quantum nempe et rerum veterum obſcuritas, et noſtra in hisce ſtudiis exercitatio mediocris permittet. In opellae huius frontiſpicio talem numi hu-

ius exhibuimus imaginem, qualis ipſum plumbum manu tenentibus apparet. Haec vero quum ita ſit comparata, ut non omnibus aeque eſſe poſſit perſpicua: omittere noluimus, quin hoc loco ea ratione illum repraeſentaremus, ut ab illis cerneretur, qui nigrorem, numum obſidentem, vellent removere.



In area anteriori, quae primo loco venit conſideranda, caput videmus, corona redimitum laurea, et crinibus apte diſpoſitis barbaque promiſſa conſpicuum; oculis ad caelum leniter ſublatis. Hoc cuiusnam ſit, epigraphe dubitare ſinit neminem. Ea enim, ſi litteras quasdam, vel, per ſcribendi compendium, omiſſas, aut, vetuſtate uſuque multo, detritas, ſuppleveris, ita erit legenda: ΑΥΤοκρατωρ ΚΑΙCαρ ΤΡΑΙΑΝος ΑΔΡΙΑΝΟC ϚΕΒαστος, id eſt, *Imperator Caeſar Traianus Adrianus Auguſtus.* De honorum titulis, quibus mactatur Hadrianus, quique communes ipſi fuerunt cum ceteris imperii Romani rectoribus, hic disputare, nihil eſt opus; quandoquidem in illis explicandis tanta diligentia atque accuratione verſati ſunt antiquariorum celeberrimi, ut, poſt meſſem eorum, nobis ne minimum quidem relictum ſit ſpicilegium. Ad Αὐτοκράτορος enim quod attinet nomen, Latino *Imperatoris* titulo ex omni parte reſpondens, quod modo ſummum belli ducem ſignificabat, modo praenomen erat atque indicium ſupremae, per orbem Romanum,

num, poteſtatis, modo autem, inſtar cognominis, victoriarum deſignabat ornamenta, de eius origine, ſignificatione atque uſu vario, quod BARNAB. BRISSONII (m), FRANC. BERN. FERRARII (n), IOSEPH. CASTALIONIS (o), WILH. DODWELLI (p) et praecipue EZECH. SPANHEMII (q) effugerit diligentiam, nihil plane invenimus. Et, quemadmodum idem heros in toga maximus de *Caeſaris* nomine, quod in ſex prioribus imperatoribus hereditarum et familiae fuit cognomen, a ſequentibus vero, quod Romani iam adſueverant appellationis iſtius maieſtati, aſſumtum, adeo copioſe pleneque (r) expoſuit, ut GEORG. LAVR. HAVSFRIZIVS (s), data opera de hoc argumento commentatus, nihil dixerit, quod illi ſit indictum: ita etiam *Auguſti* titulum, a C. Caeſ. Octaviano tractum, huius ſucceſſores propterea uſurpaſſe, ut, imperium, velut quadam adoptatione, aut iure hereditario, ſe tenere, oſtenderent, eundemque, in Graecis numis, tam Latino Ἀυγούστου quam Graeco Σεβαστοῦ vocabulo exprimi, perſpicue docuit (t), ſicque nobis fecit otium. Ne itaque cramben, terque quaterque recoctam, lectoribus appoſuiſſe videamur: miſſa non minus haec facimus, quam illa, quae de Hadriani, *Traiani* nomen adoptione conſecuti, origine, patria, parentibus, muneribus rebusque geſtis, ex vetuſtis annalibus, poſſemus depromere. Merito hoc etiam ſuperſedere poſſumus labore: quoniam illa diſſertatio nec ad numi noſtri explicationem facit quicquam, nec anguſtis huius opellae limitibus poteſt contineri; neque etiam cum

olim

(m) *De formulis et ſolemnibus populi Romani verbis*, lib. IIII. pag. 330. edit. Halenſ.

(n) *De veterum acclamationibus et plauſu*, lib. VI. cap. 8.

(o) In *Explicatione ad inſcriptionem Auguſti, quae in baſi eſt Obeliſci, ſtatuti per Sixtum V. Pontificem Max. ante portam Flaminiam, alias Populi*, Tom. IIII. *Theſauri Graeviani*, pag. 1868.

(p) In *Praelectionibus Cambdenianis*, pag. 396. ſqq.

(q) *De uſu et praeſtantia numiſmatum antiquorum*, Tom. I. pag. 443. ſqq. et Tom. II. pag. 180. ſqq. et 392. ſqq.

(r) Lib. citat. Tom. II. pag. 354. ſqq.

(s) *De Caeſare, deſignato ſucceſſore imperii antiqui*, Cap. 1.

(t) Loco citato, pag. 347. ſq.

olim, tum recentiori aetate, desiderati sunt viri eruditi, longo ordine a PAVLL. FRID. OPITIO (u) recensiti, qui vitam historiamque huius imperatoris conscripserunt. Nobis sufficiet, ex rerum, quae fata actaque Hadrianea percensentis menti debent obversari, amplissima copia nonnulla delibasse, et ea quidem, quae, uti ad nostri numismatis interpretationem magis sunt utilia, ita partim adhuc fuerunt controversa, partim vero nondum satis declarata; id daturi operam, ut illa ad liquidum, si fieri potest, perducantur, haec vero pro virili parte explicasse videamur. Ad classem priorem referimus diu multumque in criticorum foro agitatam de genuina nominis Hadriani scribendi ratione litem, quam plerique omnes, et in his viri κριτικώτατοι, EZECH. SPANHEMIVS (x), CHRISTOPH. CELLARIVS (y), CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS (z), ISAAC. CASAVBONVS (a) et CHRIST. FRID. RVHIVS (b), numis, Latina inscriptione notatis, nixi, ita dirimunt, ut statuant, recte cum adspiratione, male vero sine huius signo scribi. At vero, nolim in hanc pronunciare sententiam: quum vero videatur similius, utrumque scribendi modum, aevo antiquo, fuisse usurpatum. Primo enim, ex QVINCTILIANO (c) discimus, aspirationem, in ipso Latio, varium expertam esse fatum, eamque nunc addidisse, nunc autem abiecisse veteres. Deinde, ipse RVHIVS (d) bene multis exemplis, ex antiquo aere petitis, docet, τὸ H non rarenter modo omissum esse, modo alienissimo loco insertum. Denique, Iudaei etiam vetustiores, Romanos imitati, promiscue אדריאנוס (e) et הדריאנוס (f) scripserunt. Tan-

(u) *De Hadriani Imp. moribus, eruditisque cum doctoribus Iudaeor. controversiis*, §. 1.

(x) Libri citati Tom. I. pag. 129.

(y) In *Orthographia Latina*, pag. 95.

(z) In *Orthographia Romana*, pag. 34.

(a) In *Notis ad Ael. Spartiani Hadrianum*, pag. 5. sq.

(b) *Philologiae numismatico-latinae* specim. II. pag. 22.

(c) *Institutionum oratoriarum* lib. I. cap. 5. Conf. ARN. DRACKENBORCH *ad Silii Italici* lib. II. v. 125.

(d) Loc. cit. specimine I. pag. 15. sq.

(e) Vid. איכה רבה, s. *commentar. in Threnos*, fol. 307. col. I.

(f) Vid. *Mischnici* in עבודה זרה s. *de cultu peregrino*, Cap. II. §. 3.

Tandem, ipſe CASAVBONVS fatetur, manu exaratos codices, quos inſpexerit, ferme omnes habere *Adrianus*. Praeterea, ſine aſpiratione hoc nomen legendum exhibent marmora quaedam, ab ipſis Italis dicata atque a IAN. GRVTERO (g), THOM. REINESIO (h) et MARQ. GVDIO (i) edita; qui ſollertes antiquarii quum de ſcripturis illis nihil prorſus varient, an iſti lapides bona exſcripti ſint fide, nemo amplius iure dubitare poterit. Poſtremo, opinioni noſtrae, qua utramque hocce nomen ſcribendi rationem cenſemus probandam, calculum non denegabunt, quotquot, experientia edocti, norunt, nec hodie raras eſſe in nominibus, praeſertim propriis, efferendis ſcribendisque diverſitates. *Nonne et ipſa vernacula idiomata*, inquit Eminentiſſimus S.R.E. Cardinalis ANGEL. MAR. QVIRINVS (k), maximus ille noſtri aevi Maecenas, non purpura ſolum, aut in eruditos beneficentia, ſed ſummis etiam in elegantiores litteras meritis effulgens, *exhibent nobis ſexcenta huiusce generis exempla* (*dicitur enim* Venezia et Vinegia, Firenze et Fiorenza) *nec propterea eruditis in mentem venit, uni, ſeu alteri ex illis lectionibus bellum indicere?* Alterum, de quo controverſantur inter ſe philologi, quodque noſtrum erit diiudicare, diverſus eſt modus, quo caput Hadriani, in numiſmatibus, pictum cernimus. Subinde enim nudum comparet, ſine ullo ornamento, ſolis capillis, iisque undatim criſpis, conſpicuum. Alias vero, quemadmodum in plumbeo noſtro, laurea exornatur, crinibus circumpoſita, et, in occipitio, religata, vittis in humerum dependentibus. Priorem ſignandi modum monetarios veteres propterea uſurpaſſe, ut eſſet indicio, Hadrianum, toto vitae ſuae tempore, et ne in imbribus quidem, aut frigoribus maximis, caput contexiſſe, quorundam fert opinio. Equidem, illud ſolemne ſuum ſervaſſe imperatorem, ut

 ple-

(g) In *Corpore inſcript.* pag. CLVIII. num. 8.

(h) *Syntagm. inſcript.* Claſ. II. num. 79. Claſ. III. num. 13. 16. 24 et 31. quarum prima eadem eſt, quam GRVTERVS l. c. attulit.

(i) Pag. LXXXVIIII. num. 8. quae nihil differt ab ea, quam REINESIVS Claſ. III. num. 13. exhibet.

(k) In *Primordiis Corcyrae*, Cap. XXIII. pag. 197.

plerumque capite denudato incesserit, minime insitias iverim, probe gnarus, ita memoriae prodidisse historiae Romanae conditores. Sic enim scribit DIONIS CASSII epitomator, IOH. XIPHILINVS (l): Ὅυτε τὴν κεφαλὴν οὐκ ἐν θάλπει, οὐκ ἐν ῥίγει ἐκαλύφθη· ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς χιόσι ταῖς Κελτικαῖς καὶ ἐν τοῖς καύμασι τοῖς Ἀιγυπτιακοῖς, γυμνὴ αὐτὴ περιῄει *Nullo calore nulloque frigore, ut capite operto esset, potuit adduci. Nec enim unquam aut propter nives Celticas, aut calores Aegyptios adopertum caput habuit.* Et AEL. SPARTIANVS (m): *Frigora et tempestates ita patienter tulit, ut nunquam caput tegeret*; quo tandem est factum, sicuti idem historicus tradit (n), ut, *peragratis omnibus partibus, capite nudo, et in summis plerumque imbribus atque frigoribus, in morbum inciderit lectualem.* At vero, numos, capite huius imperatoris nudato insignitos, moris istius monumenta exstare voluisse veteres, si praecise nego: nihil a veritate aberrare mihi videor. Primo enim, id si voluissent indicare: semper atque ubique eo habitu pingere eos oportuisset Hadrianum. Praeterea, alii etiam Romani principes, et in his Severus atque Iulianus, testibus HERODIANO (o) et CLAVD. MAMERTINO (p), itinera fecerunt sine ullo capitis tegumento; quorum tamen capita similiter nunc nudata, nunc vero laureata, aut diademate galeroque tecta, repraesentarunt monetarii. Accedit, quod apparatum numarium, qui temporis effugit iniuriam, recensentes toto die obvios habent Augustos, Tiberios, Galbas, Othones aliosque imperii Romani rectores, neque laurea redimitos, neque alio capitis tegmine, aut ornamento conspicuos; licet, principes hosce apertis capitibus incessisse, apud historiarum auctores nusquam legamus relatum. Quo argumento postremo prorsus infirmatur opinio IOH. HARDVINI, quam ille

Nugarum pater ac ineptiarum
Antistes, pater atque somniorum;

ut

(l) Lib. LXVIIII. pag. 792. A.

(m) In *Hadriano*, Cap. XVII. pag. 163.

(n) Loc. citat. Cap. XXIII. pag. 200, 201.

(o) *Historiar.* lib. III. cap. 6. pag. 139. edit. Boecler.

(p) In *Gratiarum actione pro consulatu ad Iulianum Imp.* citante IS. CASAVBONO, *in notis ad Spartiani Hadrianum* pag. 163.

ut non immerito audit NIC. WESTERMANNO (q), hisce verbis eloquitur (r): *Romanae historiae architecti fabulatores, ex eo, quod in numis Hadriani cernerent, pingi eum plerumque nudo capite ac sine laurea, occasionem cepere fingendi, ipsum, toto vitae suae tempore, nunquam caput texisse.* Haec enim omni destituta verisimilitudine non viderentur: si vel probabilem reddere potuisset rationem HARDVINVS, qua factum, ut annalium veterum, quos fingit, architecti, ad numorum fidem, de Hadriano solo fuerint fabulati, quod de principibus, modo laudatis, similiter comminiscendi opportunam occasionem ipsis praebebat aes vetustum. Pellantur igitur istae ineptiae propemodum aniles; sicuti etiam valde levia sunt et nugatoria, quae statim subiungit: *Re ipsa, nudum Hadriani caput nihil aliud significat, nisi nulli eum bellicae expeditioni, toto imperii tempore, praefuisse, nullam ab eo insignem, aut cruentam victoriam de hostibus fuisse reportatam.* Vana, inquam, et falsa haec quoque sunt, atque ipsis HARDVINI placitis, facili opera, possunt confutari. Ponamus, verissima esse, atque, sine ulla animadversione, admittenda, quae IOH. XIPHILINVS (s) et SEXT. AVRELIVS VICTOR (t) de Hadriano narrant, eum non modo bellum nullum movisse, verum etiam composuisse mota, immo *iactasse, se, a regibus multis, pace, occultis muneribus, impetrata, plus otio adeptum, quam armis ceteros.* Per nos liceat etiam HARDVINO, quae in veteris memoriae monumentis scriptisque Iudaeorum de bello Iudaico, sub Hadriano gesto, relata leguntur (u), praeter omnem rationem, inter ea referre, quae hominum fabulatorum supervacanea industria, ad fraudem posteris faciendam, dicit excogitasse. Neque etiam

 contra

(q) In *Hendecasyllabis in P. Harduinum, a V. Cl. expugnatum*, qui praefixi sunt *vindiciis veterum scriptorum* MATHVR. VEIS. LA CROZE, Roterod. 1708. ἀνωνύμως editis.

(r) In *Historia Augusta, ex numis antiquis restituta, Operum selectorum* pag. 762.

(s) Lib. LXVIIII. pag. 790. B.

(t) *Epitomes* Cap. XIIII.

(u) Vid. IOH. A LENT *in schediasmate de Iudaeorum Pseudo-Messiis*, pag. 10. sqq. ubi historiam belli, Hadriano imperante, in Palaestina, a Barcocheba, moti, ad veterum fidem, contexuit.

contra eum istiusmodi excitabimus testes, qui ipsi displicent: sed suo ipsius gladio eum iugulabimus. Dum id agit HARDVINVS, ut historiam Augustam, numorum ope, restituat, non rarenter (x) talium quoque iniicit mentionem, in quibus Octav. Augusti caput nudum conspicitur: neque tamen propterea negare conatur, hunc principem, cum insigni laurea triumphali, in Capitolium esse invectum, eoque imperante omnia semper fuisse pacata. Et, qui ausus fuisset, hoc infitias ire: quum sibi contradicturum videret illum, cuius scripta, praeter aliorum nonnulla, ex omni antiquitate, sincera esse, opinatur, PLINIVM nempe? Hic enim passim Augusti celebrat victorias (y); immo affert etiam, e trophaeo Alpium, inscriptionem (z), amplissimo gentium, huius imperatoris auspiciis, devictarum, catalogo decoratam. Quod si itaque monetarii voluissent lauream, principum impositam capitibus, esse symbolum victoriarum, ab iisdem reportatarum: oportuisset eos, Augustum nunquam, nisi cum hoc ornamento, in operibus suis repraesentare. Quae quum ita sint: et recte HARDVINVM vanitatis postulavimus pariter, ac damnavimus, et merito aliam diversitatis, quam in Hadriani imaginibus pingendis animadvertimus, rationem circumspicimus. Quamdiu res Romanorum publica in aris erat focisque, laurum soli victores solebant gestare, et qui, cum triumphantibus, solemni pompa, urbem ingrediebantur. Deinceps vero, quum Romanorum libertas ad exitium inciperet vergere: laureae, et quidem perpetuo, gestandae potestas, senatus decreto, concedebatur civibus, potentia valentibus. Primus, quem isto honore affecerunt S. P. Q. R. fuit Pompeius M. quem tamen eo semel omnino esse usum, auctorem habeo DIONEM CASSIVM (a). Idem etiam (b) perinde, ac SVETONIVS (c) memoriae prodidit, Iul. Cae-

(x) Loc. citat. pag. 700. et alibi passim.

(y) Vide inprimis *Histor. natural.* lib. VII. cap. 45. quo loco vita Augusti, veluti in compendio, exhibetur.

(z) Lib. III. cap. 20.

(a) *Histor. Rom.* Lib. XXXVII. pag. 39. C.

(b) Lib. XLIIII. pag. 234. D.

(c) In *Caesare*, Cap. XLV.

Caesarem ius laureae coronae semper atque libenter usurpasse, hoc praetextu, quod esset recalvaster. Nec minus Octav. Augustum eodem privilegio fuisse donatum, documento est numus, apud LAVR. BEGERVM (d) obvius, qui hinc laudati imperatoris caput laureatum, cum epigraphe: IMP. AVGVST. TR. POT. inde vero lauream coronam, in cuius medio S. C. legitur, ostendit. Idem confirmat OVIDIVS, ita canens (e):

Cingit et augustas arbor opaca comas?

Equidem non sum ignarus, viros doctos, ex antiquis libris, *fores* legere, non *comas*, atque hunc versiculum de lauris, ante huius principis domum, iussu senatus Romani (f), collocatis interpretari. Ad probandam vero lectionem, quam antiquiores huius poëtae editiones exhibent, eo adducor, quod verbum *cingere* aptius dicitur de comis, corona redimitis, quam de arbore, ante aedes plantata. Hanc *adpositam esse*, et *stare ante fores*, ipse Sulmonensis vates dixit (g):

Cur tamen adposita velatur ianua lauro?

Et alibi (h):

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis.

In his coronam lauream non tam acti de hostibus triumphi, quam potius dignitatis praecipuae fuisse indicium, ut credamus, multa suadent. Quam enim aliam ob caussam hoc ornamento semel tantum est usus Pompeius Magnus, quam ut imperium affectare ne iudicaretur? Eadem ratione motus Iul. Caesar calvitium praetendit, qui occupatae tyrannidis effugeret invidiam. Huius certe aetate, lauro caput redimere, insigne fuisse reputatum regiae potestatis, ex eo manifesto patet, quod coronam, ex arboris illius ramis contextam, quam Caesari obtulit M. Anto-

(d) *Thesauri Brandenburgici* Tom. III. pag. 89.

(e) *Tristium* lib. III. eleg. 1. v. 40.

(f) Vid. DIO CASSIVS, lib. LIII. pag. 507. A.

(g) Loc citat. v. 41.

(h) *Metamorphos.* lib. I. v. 562.

tonius, CICERO (i) appellavit diadema; qua voce fasciam designari, qua olim reges erant exornati, vel pueris notum est. Hinc etiam fiebat, ut ille, qui lauream, albis fasciis intertextam, statuae Caesaris imposuerat, testibus APPIANO, Alexandrino (k), et SVETONIO (l), in carcerem coniiceretur, quod, illo insigni, rumorem de regno, in Caesarem collato, firmare voluisse, videbatur. Sic quoque HORATIVS (m) inter regum ornamenta laurum recenset:

Regnum et diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum.

Et, quum eadem corona imperatrices etiam nonnullae, in numis, sint conspicuae: obscurum fore arbitramur nemini, honoris dignatisque, nequaquam vero victoriae tunc esse indicium. Priores quidem imperatores hunc honorem cum uxoribus suis communicasse, usquam nec legimus, nec vidimus. At, bassi, ut vocant, imperii principes illum capitis ornatum coniugibus permisisse, novimus. Ita, Helena, Constantini M. mater, in aereo, quem CAROL. PATINVS (n) produxit, cernitur laurea gemmata redimita. Et Flavia Maxima Fausta, eidem imperatori, secundis nuptiis, iuncta, laureata sistitur cum in numo, apud OCTAV. DE STRADA (o), tum in gemma, apud τὸν μακαρίτην, ERH. REVSCHIVM (p), qui vero memoria est lapsus; quum scriberet, TRISTANVM *observare, in Theodorae numis interdum lauream eius capillos cingere, idque ad viri illius, Gal. Maximiani, victorias referri.* Nam Fl. Maximianam Theodoram, Constantii Chlori coniugem, miscuit cum Galeria Valeria, Gal. Val. Maximiani uxore, cuius numum, in quo lauro circumdantur eius tem-

(i) *Philippica* II. cap. 34. et X. cap. 3. Conf. CAROL. PASCHALIVS *de coronis*. lib. VIII. cap. ult.

(k) *De bellis civilibus*, lib. II. pag. 808. edit. Tollii.

(l) In *Caesare*, Cap. LXXVIIII.

(m) *Odarum* lib. II. od. 2. v. 21.

(n) *Imperatorum Rom. numismata, ex aere, mediae et minimae formae*, pag. 448. edit. Argent.

(o) *De vitis Impp. et Caesarum Romanor.* pag. 174. edit. Frf. 1615.

(p) In *Capitibus deorum et illustrium hominum, ex gemmis Ebermayerianis*, pag. 124.

tempora, edidit IOH. TRISTANVS (q) auguratus, illud ornamentum propterea accepisse imperatricem, quod a marito, post Persas devictos, *Matris castrorum* titulo fuerit condecorata. Sed, cum coniecturae huius fundamentum frustra quaesivi, tum etiam de eius veritate, nec immerito, dubito. Reputanti iam mecum, quae hactenus, ad veterum monumentorum fidem, sunt disputata de imperatorum lauro eiusque significatione, illi ad veritatem propius videntur accedere, qui eam principatus existimant insigne. Quemadmodum vero hodierni orbis terrarum dominos haud semper atque ubique coronis, sceptris ceteroque ornâtu regio videmus ornatos, nec in omnibus ipsorum numis hoc habitu expressos: ita etiam Romae imperatores interdum sine laurea prodibant in publicum. Atque in hac consuetudine sita est caussa, cur monetarii tam alios principes, quam Hadrianum nunc laurea exornaverint, nunc vero capite repraesentaverint nudo. Pergimus nunc ad illorum momentorum enodationem, quae iam ab aliis numismatographis, at ex parte tantum, atque strictim, enarrata sunt, ac proinde copiosius dilucidiusque a nobis erunt explicanda. Est huius generis quicquid ex Hadriani imagine, in numismate nostro depicta, eam si rite contemplemur, de huius imperatoris ingenio atque moribus licet cognoscere. Quae disputatio ne vana censeatur atque inanis, quod vereamur, habemus nihil: recte si subduximus calculos, quum, veras imperatorum Romanorum imagines, in aere vetusto, conspici, evinceremus (r); nec improbabilis est argumentatio, qua nostri aevi philosophorum coryphaeus, CHRIST. WOLFIVS (s), probavit, artem eorum, qui ex faciei lineamentis, corporis habitu et similibus signis singulorum hominum naturam cognoscere satagunt, fundamento haud prorsus omni carere. Curioso iam oculo qui lustrant numi nostri partem ad-

---

(q) *Commentaires historiques, contenans l'histoire generale des Empereurs etc.* Tom. III. pag. 435.

(r) *Comment. de numo Alexandri M.* Cap. VI. pag. 19. sqq.

(s) In *den Gedancken von der Menschen Thun und Lassen*, §. 213. sqq.

adverſam, in ea, licet aliquantulum ſit detrita, tamen neceſſe eſt obſervent veſtigia capitis bene capillati atque undatim criſpi. Horum poſterius non naturae, ſed artis fuiſſe opus, ex AEL. SPARTIANO (t) intelligimus, dum, Hadrianum *flexo ad pectinem capillo* fuiſſe, teſtatur. Sunt enim, ut recte obſervat CLAVD. SALMASIVS (u), flexi ad pectinem capilli *ante flexi et calamiſtro criſpati*; quales crinibus, ingenio, nulla adhibita arte, flexis, opponuntur. Coma vero, calamiſtri auxilio, in gradus fracta, maxima apud priſcos homines invidia laboravit, atque iudubium mollitiei exiſtimatum eſt indicium; ſicuti probant veterum teſtimonia, plenis veluti calathis, allata ab HADR. IVNIO (x), nec non MARTIALIS (y), quos adſcribimus, verſiculi in Carmenionem effeminatum:

Tu flexa nitidus coma vagaris:
Hiſpanis ego contumax capillis.

Nec profecto falſi fuerunt veteres, quum ex nimia crinium cura animum coniicerent et laſcivum, et timidum: ſi omnino omnes, qui antiquo aevo urendo torquendoque capillum fecerunt gradibus atque undis ;veluti criſpantem, ita fuerunt animati, quemadmodum affectum fuiſſe novimus Hadrianum; qui *laſcivus et continentiam ſimulans* audit SEXT. AVRELIO VICTORI (z), *adultorum* vero *amore ac nuptarum adulteriis infamis* AEL. SPARTIANO (a); quem praeterea turpiſſimo famoſi illius Antinoi miniſterio eſſe uſum, ingens clamat teſtium turba, ab IMMAN. WEBERO (b) excitata; qui denique tantopere a fortiſſimorum maiorum ſuorum virtute degeneravit, ut non ſolum *multas provincias, a Traiano acquiſitas, relinqueret* turpiter, ſed etiam, *a pleriſque regibus* barbaris *pacem redimere*, ipſum haud puderet; ſicuti, quem modo laudavimus, hiſtoricus in litteras retulit (c). Iidem capilli quum omnem ferme

(t) In *Hadriano*, Cap. XXVI. pag. 211. ſq.
(u) In *notis* ad modo citat. SPARTIANI loc.
(x) In *Commentar. de coma*, Cap. VIII.
(y) Lib. X. epigr. 65.
(z) *Epitomes* Cap. XIIII.
(a) Cap. XI. pag. 109.
(b) In *Antiquitatibus Antinoi*, Cap. I. §. 5.
(c) Cap. VIII. pag. 75. et Cap. XVII. pag. 163.

ferme frontem tegant, atque ad ſupercilia usque deſcendant, ex phyſiognomonum ſententia (d), animum Hadriani ſingulari ſaevitia fuiſſe praeditum, declarant. Neque contradicunt veteris memoriae annales. Vt ut enim clementiam perbelle ſtudebat ſimulare: natura tamen, qua ipſum crudelem fuiſſe dicit MARIVS MAXIMVS (e), ſaepius fiebat manifeſta. Silentio iam praetermittimus immanitatis Hadrianae exempla, in Iudaeorum ſcriptis (f) obvia, nec temere in dubium vocanda; atque id tantum obſervamus, quod, praeter IOH. XIPHILINVM (g), memoriae etiam prodidit S. AVREL. VICTOR (h), tantam ſibi invidiam infamiamque conflaſſe Hadrianum caedibus, initio principatus et paullo ante obitum, editis, ut patres conſcripti precibus Antonini Pii vix flecti potuerint ad Divi honores ipſi decernendos. Quid? quod adeo ſaevus fuit, ut, teſte AEL. SPARTIANO (i), *ſub ipſo mortis tempore, Servianum, nonaginta annos agentem, ne ſibi ſuperviveret, atque, ut putabat, imperaret, mori coëgerit.* Porro, Hadriani caput plus in occiput, quam ſinciput prominere videmus; quod aliam huius imperatoris indolem prodit. Equidem, opinionum diſſenſione inter ſe discordare comperio, qui, ex vultu, oculis, corporis habitu ſignisque ſimilibus, animi cognoſcere ſatagunt virtutes vitiaque, cuiusnam dotis caput, ita comparatum, ſit indicium. Nam IAC. SPONIVS (k) illud ſignum cenſet memoriae excellentis: RVDOLPH. GOECLENIVS (l) contra hinc ingenii coniicit praeſtantiam. Verum, discrepantes has ſententias inter ſe facile

K con-

(d) Vid. IOH. BAPTIST. PORTA *de humana phyſiognomia*, lib. II. pag. 73.

(e) Apud SPARTIANVM, Cap. XX. pag. 183.

(f) Vid. איכה רבה, ſ. *gloſſae magnae in Threnos*, loco, ſupra citato.

(g) In DIONIS *Hiſt. Rom.* lib. LXVIIII. *excerptis*, pag. 788. D. et pag. 797. ima.

(h) In *Caeſaribus*, Cap. XIIII.

(i) Cap. XXV. pag. 210.

(k) Vid. *diſſertation de l'utilité des medailles pour l'étude de la phyſiognomie*, quae exſtat inter eius *Recherches curieuſes d'antiquité*, pag. 381.

(l) In *Phyſiognomicis et chiromanticis ſpecialibus*, pag. 39.

conciliabimus: si statuamus, amplum occiput utrumque significare. Fidissima enim polleat memoria, necesse est, qui praeclari ingenii laudem aucupatur; sicuti e contrario, memoria vel imminuta, vel destructa, ingenium quoque decrescit, aut destruitur (m). Ac certe floruit Hadrianus cum memoria propemodum divina; tum ingenio admirabili. Num enim tenacior vel fingi potuit memoria, quam quae, ingentis hominum turbae, principes salutantis, nomina propria, immo integros libros, semel perlectos, reddere, valebat? quae rationes imperii Romani, adeo longe lateque patentis, ut ferme alteram orbis, olim cogniti, occuparet partem, ita erat complexus, ut domum privatam paterfamilias diligens non satis noverit? Nonne promtissima eum fuisse oportet memoria, qui uno eodemque tempore et scribere, et dictare, et audire, et cum amicis potuit confabulari? Haec omnia vero praestare, si fidem adhibere licet AEL. SPARTIANO (n), toties iam excitato, ludus fuit Hadriano, *memori*, verba recito S. AVREL. VICTORIS (o), *supra quam cuiquam credibile est*, qui *locos*, *negotia*, *milites*, *absentes quoque*, *nominibus recensere* potuit. Iidem historici (p) laudibus quoque celebrant incredibile Hadriani ingenium, ad omnia ita versatile, ut natus ad id unum videretur, quodcunque agebat. Non solum enim potitus erat litteris humanioribus et omnibus Atheniensium studiis; neque tantum disciplinis canendi, psallendi, fingendi pingendique adeo excelluit, ut nobilissimorum artificum consequeretur gloriam: sed multum quoque versatus fuit in historia, arithmetica, geometria et architectura. Et, sicuti harum artium nonnullas scriptis partim illustravit, partim locupletavit (q): sic etiam medendi hausit scientiam, variaque ipse remedia inve-

(m) Vid. CHRIST. WOLFII *psychologia empirica*, §. 480. et *psychologia rationalis*, §. 476.

(n) Cap. XX. pag. 188. 189.

(o) *Epitomes* loco citato.

(p) SPARTIANVS, Cap. XIIII. pag. 143. sqq. et VICTOR, loco citato.

(q) Vid. SPARTIANVS, Cap. XV. pag. 150.

invenit, quorum catalogum exhibet IOH. ALB. FABRICIVS (r). Denique contemplanti mihi paullo attentius Hadriani imaginem, in numo nostro signatam, videtur, illa eodem gestu expressa, quo hunc imperatorem depingit IVLIANVS (s), quum advenisse eum dicit in convivium, *εις τὸν ὀυρανὸν ἀφορῶν πολλάκις*, *sublatis crebro in caelum oculis*. Ex illustris EZECH. SPANHEMII (t) sententia, his vocibus contumeliosis IVLIANVS propterea exagitavit Hadrianum, quod astrologiae fuerit deditissimus atque in summa familiaritate habuerit doctores, vanae huius artis peritia, illo aevo, florentes. Quamquam vero, ad illud studium diligenter incubuisse Hadrianum, facile largior; quippe quod SPARTIANI (u) nititur testimonio: vero tamen similius mihi videtur, tam IVLIANVM, quam monetarium nostrum sistere hunc imperatorem oculis caelum versus sublatis, quod eum servaverit gestum, imitaturus, uti in multis aliis, sic hac etiam in re, Alexandrum M. (x), quem frequenter sustulisse supercilia, alio loco (y), docuimus. Vterque princeps suis moribus confirmavit, quod physiognomones, uno ore, docent, oculos, ita affectos, animum prodere superbum atque arrogantem. Nam, quod ad Hadrianum nostrum attinet, eum altos traxisse spiritus et fastu fuisse tumidum, referunt, qui eius res gestas litteris consignarunt. Sic *ἀνὴρ σοβαρὸς*, *vir fastosus*, IVLIANO (z), SEXT. AVREL. VICTORE (a) autem *ad ostentationem sui insolens* appellatur. Tanta erat arrogantia, atque in disciplinis cunctis se adeo versatum putabat, *ut professores omnium artium semper, ut doctior, rideret, contemneret, obtereret*; sicuti idem

(r) *Bibliothecae Graecae* lib. VI. cap. 9. Vol. XIII. pag. 34.

(s) In *Caesaribus*, pag. 6. edit. Heusinger.

(t) In *Notis ad versionem* IVLIANI *Caesarum Gallicam*, pag. 71. edit. noviss.

(u) Cap. XVI. pag. 158. sq.

(x) Comparationem inter Alexandrum M. atque Hadrianum instituit CLAVD. NICASIVS in *dissert. de numo Pantheo Hadriani Imp.* supra laudata.

(y) *Comment. de numo Alexandri M.* Cap. V pag. 15. sqq.

(z) Loco citato.

(a) *Epitomes* loco citato.

idem SPARTIANVS (b) refert. Et AMMIANVS MARCELLINVS (c) ſcribit: *Bene veſtitos oderat, et eruditos, et opulentos, et nobiles: et fortibus detrahebat, ut ſolus videretur bonis artibus eminere: quo vitio exarſiſſe legimus principem Hadrianum.* Quid? quod adeo inſolenter ſe Hadrianus eruditione extulit, ut, ſe omnibus numeris eſſe abſolutum, nec falli poſſe,crederet, eosque, qui erroris eum arguebant, capite plecteret. Ita, Apollodorum, architectum, quod, ipſum hac in arte minus peritum eſſe, oſtenderat, imperatorem trucidari iuſſiſſe, relatum legimus apud IOH. XIPHILINVM (d). Poſtremo, plena et promiſſa, circum genas mentumque, barba, in numiſmate noſtro conſpicua, notanda venit; quam Hadrianus, teſte eodem XIPHILINO (e), primus imperatorum nutrivit, eaque in re ſucceſſores ſuos, per ſaecula complura, habuit imitatores. Cauſſam, cur barbam recuſaverit ponere, ſed eam habere voluerit boni ponderis, hanc indicat SPARTIANVS (f), *ut vulnera, quae in facie naturalia erant, tegeret.* Equidem, quid *vulnerum naturalium* nomine veniat hiſtorico, atque, an illud interpretando acu rem tetigerint ISAAC. CASAVBONVS et CLAVD. SALMASIVS; quorum ille ita appellari cenſet *maculas genitivas et* συμφύτους, *quae ſic faciem dehoneſtarent, ut cicatrices*; hic vero eadem eſſe autumat, quae Graeci ἕλκη ἔμφυτα dicunt; illis excutiendum relinquo, qui praeter Apollinem, Medicinae praeſidem, manſuetiores etiam Muſas in deliciis habent. Illud mihi addere adhuc liceat, Hadrianum iam antea creſcere ſiviſſe barbam, quam imperii Romani clavum prehenderet. Hoc inde intelligimus, quod, quum metueret, ut a Traiano ſucceſſor deſignaretur, atque de huius erga ſe voluntate ſortes conſuleret Virgilianas, teſte SPARTIANO (g), ipſe his poëtae Mantuani indicari exiſtimatus eſt verſiculis (h):

Quis

(b) Cap. XV. pag. 149.
(c) Lib. XXX. pag. 431. edit. Valeſ.
(d) Lib. LXVIIII. pag. 789. 790.
(e) Lib. LXVIII. pag. 777. ima.
(f) Cap. XXVI. pag. 211.
(g) Cap. II. pag. 19.
(h) *Aeneid.* lib. VI. v. 809. ſqq.

Quis procul ille autem ramis insignis olivae
Sacra ferens? nosco crines incanaque menta
Regis Romani; primam qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis et paupere terra,
Missus in imperium magnum, cui deinde subibit.



CAPVT VI.

Partes numiſmatum antiquorum averſae ſaepius intellectu difficiliores. Hinc numi dicti aenigmata; *quo nomine Aegyptiaci inprimis ſunt appellandi. Icuncula, in numiſmatis noſtri poſtica, ad latus dextrum, conſtituta, cuiusnam ſit, inter viros eruditos non convenit. Repraeſentat autem Canobum, deum. Quare illud numen hydriae figura Aegyptii adumbraverint, ſententia Abenephii, Arabis, ſed nugatoris, ac forte ab Athan. Kirchero conficti. Quae Suidas et Rufinus de Canobi victoria, ab igne, Chaldaeorum deo, reportata, perhibent, merito fabulis annumerantur. Thom. Stanleii et Petr. Iurieu error notatus. Canobi imago, ex ſuperſtitioſorum opinione, paratum ad incendia exſtinguenda remedium. Sub Chriſtianiſmi primordia labaſcentem ſuperſtitionem ſuffulcire ſtudebant ſacrificuli narratiunculis de numinum ſuorum potentia et miraculis. Gemma, in qua Canobus ignem conculcat, explicata.* Hoſtium calcare cervicem, *veteres dicebant pro* plena potiri victoria. *Chaldaei an ignem adoraverint, addubitatur. Idololatrae antiqui haud videntur flagraſſe cupidine religionem ſuam propagandi. Canopum, Menelai, Spartani, gubernatorem, in Aegypto fatis perfunctum, urbi homonymae nomen dediſſe, et pro deo eſſe adoratum, Graeci, ſua adducti vanitate, fabulantur. Incertum eſt, utrum Menelaus, Laconum princeps, Aegyptum unquam adierit, nec ne. Veteres Aegyptii alienigenas homines ſummopere averſabantur. Nomi Menelaitici, in quo urbs Canobus ſita, appellatio a Menelao, Ptolemaei, Lagi filii, fratre tracta. Veroſimilior Ariſtidis relatio de origine numinis Canobici adducitur et vindicatur. Canobus, vi vocis, ſignificat* χρυσοῦν ἔδαφος, aureum ſolum. Aurea *vocabant priſci homines, quae, in ſuo genere, praeſtantiſſima. Ager Canobicus fertiliſſimus,* *eius-*

eiusque habitatores voluptatibus deditissimi; unde Canobismus *in proverbium abiit. Sub Canobi, dei, figura ipsa civitas cognominis culta. Prisci homines urbes, imaginibus symbolicis consecratas, divinis prosecuti sunt honoribus; cuius moris ratio et exempla complura afferuntur. Ioh. Harduinus, dubitans, an unquam oppidum, Canobi nomine appellatum, in Aegypto antiqua exstiterit, refellitur.* Canobus, *per b, non* Canopus, *per p, scribendum. Canobicum numen, hydriae forma, cui virile impositum caput, repraesentarunt Aegyptii, quoniam eiusdem nominis urbs, sub istius imagine adorata, in ipsa Nili exstructa erat ripa. Situs huius oppidi, ad veterum fidem et ex Bened. de Maillet coniecturis, describitur. Hydria Aegyptii veteres hieroglyphice Nilum designarunt. Aqua Nilotica, quae, sua natura, turbida et tepida est, peculiaribus urnis, hodienum, et limpida redditur, et refrigeratur. Nilum contra ignis vastationem munire patriam suam, docebant Aegyptii vetustiores. Inde natae sunt fabulae de numinis Canobici, in cobibendis incendis, potentia, et triumpho, de Chaldaeorum igne, acto. Nili ostia ob scopulorum breviumque frequentiam, sine naufragii periculo, nemo, nisi qui peritum viarum nactus est ducem, ingredi potest. Quoniam cives Canobici in disciplina navali erant versatissimi, iisdemque advenae naviculatoribus utebantur: Canobus, deus,* gubernatoris *accepit cognomen. Alae, quas numen illud subinde in capite gerit, navium Canobicarum indicant agilitatem. Navium vela olim designabantur vocabulo alarum, quae summae velocitatis symbola. Hinc concluditur, numisma nostrum non alius, quam Canobicae civitatis iussu esse signatum. Mos veterum Aegyptiorum in numis suis patria tantum numina repraesentandi compluribus exemplis firmatur.*

Per-



Pervenimus nunc ad alteram nostri numismatis faciem. Solet ea, in antiquariorum scholis, *aversa*, aut *postica* appellari, ac non raro istiusmodi arte symbolica esse signata, ut saepius non nisi hariolando queat explicari; unde, apud PRVDENTIVM (i), numi veteres *aenigmatum* nomine merito designantur. Quod si autem in prisco aere, argento auroque exstat quicquam, dignum, cui illa imponatur appellatio: illud profecto est, quod Aegyptiorum veterum cusum est auctoritate. Quemadmodum enim hic populus tantopere delectabatur hieroglyphica scribendi methodo, ut res suas tantum non omnes arcanis litteris, veluti involucro atque integumento quodam, absconderet: sic quoque eundem morem in signandis numis, si non semper, saepissime tamen, servavit. Contemplamur in illis plerumque serpentum, animalium ferarumque numina, et huius generis alia; quorum significationem qui indicare voluerit, is Oedipus sit, necesse est, nequaquam Davus. Praeterea, urbium nomina, ex quarum officinis monetariis prodierunt, quam rarissime invenimus adscripta. Nihil itaque mirum, si viri etiam litteratissimi antiquitatumque notitia haud leviter tincti, se tantis difficultatibus, quibus aes Aegyptiacum laborat, feliciter superandis esse impares, professi ad hariolationes coacti fuerunt confugere. Quae quum ita sint; atque plumbeus etiam noster Aegyptum patriam suam agnoscat: qualem eius daturi simus explicationem, obscurum esse poterit nemini. Quoniam nec duo numina, quae in templi constituta videmus vestibulo, additis eorum nominibus, quod in Graecis Latinisque numis fieri assolet, quaenam sint, indicatur; nec significare placuit monetario, quorum iussu hunc plumbeum fabrefecerit; neque etiam ullus litterarum ductus, praeter temporis, quo est flatus, siglas, in eo compareat: non omnia, quae

---

(i) *Peristephanon*, *hymn.* III. v. 118. Conf. HENR. MEIBOMII *progr. de numorum veterum, in illustranda Impp. Rom. historia, usu*, pag. 19.

quae in hocce monumentum ſumus commentaturi, certa atque extra dubitationis aleam poſita fore, quilibet intelligit. Ea igitur, quae probabilitati haud iudicabuntur contraria, coniecturis aſſecuturi animadvertimus, maximam partem eorum, qui numiſmatis noſtri iniecerunt mentionem, CAROL. nempe PATINVM (k) et CLAVD. NICASIVM (l), icunculam, in latere conſtitutam dextro, de Canobo, numine Aegyptiaco minime ignobili, expoſuiſſe. Divortium autem ab his duumviris facit PAVLL. PEDRVSIVS (m), contendens, Iſidis potius eſſe, alteram vero, quae ad laevam, Canobum repraeſentare. Verum, ab illorum ſtare malim partibus, quam huius ſubſcribere ſententiae; quandoquidem varia ſunt, quae, eam veritati minus eſſe ſimilem, oſtendunt. Primo enim, imaguncula, quam PEDRVSIVS ad Canobum exiſtimat referendam, exornata eſt inſignibus propemodum omnibus, quibus Iſidem aliis numinibus dignoſcunt eruditi; ſicuti non ita multo poſt copioſius demonſtrabimus. Praeterea, quemadmodum Canobus in tabulis vetuſtis, a BERN. DE MONTFAVCON (n) aliisque antiquariis, magno numero, recenſitis, formam habet amphorae, aut alius cuiusdam vaſis ampli, ſuperpoſito capite virili: ſic etiam, quae in numo noſtro ad dextram comparet, hydria viri potius, quam feminae capite tegitur. Denique, in eiusdem capitis vertice veſtiga quaedam animadvertimus ornamenti, non ita diſſimilis ei, quo Canobus ſuperbiens ſiſtitur in gemma Maffeiana; quam propterea, et quoniam ad arcana huius numinis ſacra aperienda poteſt conducere, operae erit pretium, ex modo laudato atque prorſus egregio opere Montfauconiano (o) deſumtam, hic apponere.

(k) *Theſauri Maurocenici*, Cap. XII. pag. 118.

(l) In *Diſſert. de numo pantheo Hadriani Imp.* Cap. III. pag. 28.

(m) *I Ceſari in metallo grande, da Giulio Ceſare ſino a L. Elio, raccolti nel Farneſe Muſeo* &c. Tom. VI. pag. 372. ſqq.

(n) Vide *L'Antiquité expliquée*, Tom. II Part. 2. pag. 320. ſqq. et *Supplement*, Tom. II. pag. 167. ſqq.

(o) Loco citato, Tab. CXXXIIII. num. 4.



Scifcitanti iam mihi, quibus adducti rebus veteris Aegypti habitatores hocce numen in hydriae conformaverint fpeciem, nonnulli reddunt refponfum, eius confilii hanc exftitiffe rationem, quod Canobus mari, fluminibus, immo univerfae humidae naturae, hydriae, fitulae aliorumque vaforum figuris hieroglyphice adumbratae, praefidere fuerit creditus. Ita perhibet, apud ATHAN. KIRCHERVM (p), ABENEPHIVS, natione Arabs, religione vero Iudaeus; cui tamen non aeque facile, ac KIRCHERVS fecit, fidem adhibuero. Non poffum enim, quin ratum habeam iudicium, quod de huius fcriptoris auctoritate tulerunt viri rerum orientalium peritiffimi, LVDOV. MARRACCIVS (q) et MATVRIN. VEYSSIERE LACROZE (r), quorum alter ABENE-

PHI-

(p) *Oedipi Aegyptiaci* Syntagmat. III. cap. 7. Tom. I. pag. 211.

(q) *Prodromi ad refutationem Alcorani* Part. III. cap. 9. pag. 29.

(r) Apud PETR. ZORNIVM *bibliothecae antiquariae et exegetica* Tom. I. pag. 134.

PRIVM auctorem futilem commentitiumque, KIRCHERO autem, non satis cauto, pro genuino veroque venditum; alter vero, ab ipso KIRCHERO Latine confictum, et, nugatoris cuiusdam auxilio, Arabice conversum, non sine ratione, pronunciavit. Alii contra contendunt, Canobum commemorata imagine ab Aegyptiis esse repraesentatum in memoriam victoriae, quam illud idolum ex Igne, Chaldaeorum deo, quondam retulisse dicitur. In ea sententia fuisse video RVFINVM et SVIDAM, quos, licet paullo sint verbosiores, tamen hac de re differentes audisse iuvabit. Sic autem RVFINVS (s): *Ferunt, aliquando Chaldaeos, Ignem, deum suum, circumferentes, cum omnium provinciarum diis habuisse conflictum, quo scilicet, qui vicisset, hic esse deus ab omnibus crederetur. Reliquarum provinciarum dii, aeris, aut auri argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacunque materia constabant, quae per ignem procul dubio corrumperetur; ex quo fiebat, ut Ignis, locis omnibus, obtineret. Haec quum audisset Canopi sacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriae fieri solent in Aegypti partibus fictiles, undique crebris et minutis admodum foraminibus patulae, quibus turbida aqua desudans, defecatior ac purior redditur. Harum ille unam, cera foraminibus obturatis, desuper etiam variis coloribus pictam, aqua repletam, statuit in deum. Et excisum veteris simulacri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput desuper positum, diligenter aptavit. Adsunt posthaec Chaldaei: itur in conflictum: circa hydriam ignis accenditur: cera, qua foramina fuerant obturata, resolvitur: sudante hydria ignis exstinguitur. Sacerdotis fraude Canopus Chaldaeorum victor ostenditur. Vnde ipsum Canopi simulacrum, pedibus perexiguis, attracto collo et quasi sugillato, ventre tumido, in modum hydriae, cum dorso aequaliter tereti, formatur.* Et SVIDAS (t): Ποτὲ, ὡς λόγος, Χαλδαῖοι τὸν ἴδιον θεὸν, ὅπερ ἐστὶ τὸ πῦρ, ἀποσεμνύνοντες, πανταχοῦ περιέφερον· ὥστε τοῖς θεοῖς πασῶν τῶν ἐπαρχιῶν συμβεβληκέναι, καὶ τὸν νικῶντα ἐκεῖνον παρὰ πάντων νομίζεσθαι θεόν. Τῶν μὲν οὖν ἄλλων ἐπαρχιῶν οἱ θεοὶ ἀπὸ χαλκοῦ, ἢ ἀργύρου, ἢ ξύλου,

(s) *Historiae ecclesiasticae* lib. XI. cap. 26. pag. 257. edit. Frobenian.

(t) Vocabulo, Κάνωπος.

ἢ λίθου, ἢ ἄλλης τοιαύτης ὕλης ἐτύγχανον ἱδρυμένοι· ἡ δὲ τοιαύτη ὕλη εὐχερῶς ἀπὸ τοῦ πυρὸς διεφθείρετο· ὥστε πανταχοῦ τὸ πῦρ ἀναγκαίως νικᾶν. Τοῦτο ἀκούσας ὁ τοῦ Κανώπου ἱερεὺς, πανοῦργόν τι τοιοῦτον ἐνεθυμήθη. Ὑδρίαι ἐν τοῖς μέρεσι τῆς Αἰγύπτου εἰώθασι γίνεσθαι ὀστράκιναι, τρήσεις ἔχουσαι λεπτὰς συνεχεῖς, ὥστε διὰ τῶν τρήσεων ἐκείνων τὸ τεθολωμένον ὕδωρ διυλιζόμενον ἀποδίδοσθαι καθαρώτατον· ἐκ τούτων τῶν ὑδριῶν μίαν λαβὼν ὁ τοῦ Κανώπου ἱερεὺς, καὶ τὰς τρήσεις ἐκείνας ἀποφράξας κηρῷ, καὶ διαφόροις ζωγραφήσας χρώμασι, πληρώσας ὕδατος ἔστησεν ὡς θεόν· καὶ ἀποτεμὼν παλαιοῦ ἀγάλματος τὴν κεφαλὴν, ὅπερ ἐλέγετο Μενελάου τινὸς κυβερνήτου γεγενῆσθαι, ἐπιμελῶς ἐπιθεὶς, ἥρμοσεν αὐτὴν τῷ ἀγάλματι. Παρεγένοντο μετὰ ταῦτα οἱ Χαλδαῖοι· ἀνήφθη τὸ πῦρ, καὶ ὁ κηρὸς, δι' οὗ αἱ τρήσεις ἐτύγχανον πεφραγμέναι, διελύετο· τῆς δὲ ὑδρίας ἱδρώσης, καὶ τὸ ὕδωρ διὰ τῶν τρήσεων ἐκβαλλούσης, ἐσβέννυτο τὸ πῦρ· οὕτω τε τῇ πανουργίᾳ τοῦ ἱερέως Κάνωπος τῶν Χαλδαίων νικητὴς ἀνεδείχθη· καὶ ἀπὸ τότε λοιπὸν ὡς θεὸς ἐτιμᾶτο. *Chaldaei olim, ut fertur, deum suum, qui est Ignis, ubique circumferebant, potentiam eius, magnificis verbis, extollentes, ut cum omnium gentium diis in certamen descenderet, et is, qui eum vicisset, ab omnibus deus iudicaretur. Quum igitur ceterarum gentium dii ex aere, vel argento, vel ligno, vel lapide, vel simili materia, quae igne facile consumebatur, facti essent: Ignem ubique vincere, necesse erat. Eo audito, Canopi sacerdos huiusmodi quid callide est commentus. Hydriae fictiles, minutis foraminibus plenae, in Aegypto confici solebant, ut per foramina illa aqua turbida percolata redderetur limpida. Harum hydriarum unam Canopi sacerdos, aqua repletam, ut deum, in medio statuit; postquam foramina eius cera obturasset, variisque coloribus depinxisset, et caput veteris simulacri, quod, Menelai cuiusdam gubernatoris fuisse, dicebatur, amputatum ei accurate adaptasset. Venerunt postea Chaldaei: accensus est ignis eiusque calore cera, qua obturata erant foramina, liquescere coepit. Hydria igitur sudante, et aqua per foramina fluente, ignis exstinctus est. Sic igitur, callido sacerdotis commento, Canopus victor e certamine discessit, et, ex eo tempore, ut deus, est cultus.* Non illepidam hanc de Canobi triumpho historiam dum THOM. STANLEIVS (u), RVFINI veluti verbis, recitat, pro Canobo nomi-

(u) In *Historia Philosophiae*, Part. XIII. Sect. II. cap. 39. pag. 1158. sqq.

minat Nilum; castigatus propterea a doctissimo suo interprete, IOH. CLERICO (x). In eodem errore, deceptus fortassis a STANLEIO, versatur quoque PETR. IVRIEV (y); immo, quemadmodum fieri assolet, ut, qui semel recto deerrarunt, saepius offendant, ita peccatum novo peccato auxit, affirmando, non hydria, sed statua grandi, intusque cava, eo in negotio, usum esse astutum illum sacerdotem. Neque etiam audiendus est idem vir doctus, quum certamen, in quod Canobus cum Igne convenit nunquam, ad Constantini refert aevum. Quamquam enim RVFINVS atque SVIDAS haud meras tradunt fabulas: indignos tamen iudicamus, quibus in omnibus, atque in eo praesertim, quod rei est caput, fides adiungatur. Non difficulter mihi persuaderi patiar, senili atque decrepita superstitionis aetate, quum illa brevi a vera religione esset opprimenda, Aegyptios Canobum pro aquarum habuisse praeside, credidisseque, huius numinis auxilio flammarum vim posse cohiberi. Expressa enim huius opinionis vestigia servant monumenta, aquaticum hunc deum celebrantia, atque a IOH. CHIFLETIO (z), BERN. DE MONTFAVCON (a) aliisque publici facta iuris, ex quibus unicum hic apponere licebit, quod primum, ex Hippolyti Vitelleschi, equitis Romani, Museo, ATHAN. KIRCHERVS (b), deinceps vero, ex ditissima Borussorum Regis Potentissimi gaza, evulgavit LAVR. BEGERVS (c)

 Ca-

(x) In *Indice philologico ad historiam philosophiae orientalis*, vocabulo, *Canopus*.


(y) *Histoire critique des dogmes et des cultes de l' eglise*, Part. III. chap. 2. pag. 484.

(z) In *Abraxa Proteo*, *seu multiformi Gemmae Basilidianae portentosa varietate*, quae subiuncta est IOH. MACARII *Abraxae*, *seu Aristippo*. Tab. XXV. num. 103.

(a) *Antiquité expliquée*, Tom. II. Part. 2. tab. CLX.

(b) *Oedipii Aegyptiaci* Syntagm. XIIII. cap. 8. Tom. III. pag. 449. sq.

(c) In *Thesauro Brandenburgico*, Tom. III. pag. 308.



Canobi imaginem hoc cimelium ſiſtere contemplandam, uno ore adfirmant antiquarii, atque illis modo videbitur ambigum, qui in Aegyptiorum theologia parum ſunt verſati. Eſſe autem hanc gemmam olim uſurpatam, loco phylacterii, contra ignis flammarumque violentiam, optime coniecit laudatus modo KIRCHERVS. Quamvis enim, ſemper ſub iudice litem illam futuram eſſe, exiſtimo, num characteres, ſingulis vaſculi canalibus adſcriptos, quos Coptas arbitratur litteras, recte ſit interpretatus: eidem tamen, contendenti, huic gemmae facultatem incendia exſtinguendi tribuiſſe veteres, adſtipulari nullus dubito, et quidem propterea, quoniam pro hac ſententia ſatis fortiter propugnare video adpictum πεντάγραμμον. Hoc enim non Hygeae tantum, ſive Salutis deae, ſymbolum eſt, ſed fortiſſimum etiam, ex ſuperſtitioſorum mente, remedium ad incendia inhibenda. Colligimus hoc ex ineptis perſuaſionibus, quas fovent Iudaei hodierni, quorum artem cabbaliſticam, uti vocant, et eam inprimis, quae practica dicitur, ex orientalium populorum, maxime autem ex Aegyptiorum vanis dogmatibus natam, auctam ditatamque eſſe, vero eſt ſimillimum. Gens nempe recutita quotiescunque contra flammarum furorem parat amuletum, quod מגן דוד, *ſcutum Davidis*, appellitat, facile nunquam omittit, illud memoratum addere

dere Salutis insigne; sicuti huius phylacterii figurae, apud GEORG. ELIEZ. EZARDVM (d), IOH. ALB. FABRICIVM (e), WILH. SCHIKARDVM (f), IOH. SAVBERTVM (g), IOH. IAC. SCHVDTIVM (h), IOH. WVLFERVM (i) et ANDR. CHRISTOPH. ZELLERVM (k) obviae, quemvis edocere possunt. Neque illud etiam habuerim ambiguum, saeculis, optimi nostri maximique servatoris aetatem proxime secutis, Canobi ex Chaldaeorum Igne actum triumphum credulorum hominum sermonibus fuisse celebratum; sic, ut ea haud referant RVFINVS et SVIDAS, quae re vera sunt gesta, sed, quae, circa ipsorum tempestatem, de idolo suo praedicabant Aegyptiorum sacrificuli. Eo certe aevo, quo, exorto caelestis veritatis sole, eundem in dies magis magisque exsplendescere atque superstitionis tenebras dispellere, animadvertebant vanae religionis antistites, eaque propter metuebant, ne exagitatis ipsorum idolis nemo amplius sacra faceret, ipsi vero, hac ratione, alimentis ceterisque vitae necessariis spoliati, ad incitas redigerentur, pontifices maiores minoresque certatim coeperunt omnem movere lapidem, ut labascentem suorum auctoritatem fulcirent, et, si posset fieri, redderent perennem. Hinc longe uberrima nascebatur fabularum seges de numinum potentia et virtutibus deque maximis, atque eorum opera editis, miraculis, de quibus superstitionis conditores ne quidem in somniis cogitaverant. Constat hoc mentiendi studium inter omnes, qui, vetustiore gentilium theologia cum recentiori collata, observarunt, hanc ab illa ita discrepare, ut maior esse nequeat rerum dissensio; id quod iam olim, exemplis quibusdam, nos demonstrasse

(d) In *Notis ad codicis Gemarici* עבודה זרה *s. de cultu peregrino* cap. II. pag. 353.

(e) In *Codice pseudepigrapho Vet. Test.* Tom. I. pag. 1007.

(f) In *Tarich, s. serie regum Persiae*, pag. 54.

(g) In *Palaestra theologico - philologica*, pag. 64.

(h) In *Den Iüdischen Merckwürdigkeiten*, Part. II. lib. VI. cap. 6. pag. 75. sqq.

(i) In *Theriacis Iudaicis, ad examen vocatis*, pag. 74.

(k) In *dissert. epistolica de schedula incendiaria sacra Iudaeorum*, Stutgardiae 1722. 4. edita.

ſe (l), meminimus. Ementitis hisce falſisque de ſumma idolorum potentia narratiunculis, circa Chriſtianiſmi initium, celebratis, iure meritoque annumeramus Canobi triumphum, non modo ore ſcriptisque decantatum, ſed adumbratum quoque in gemma ſequenti, quam, ab ATHAN. KIRCHERO (m) editam, hic conſpiciendam exhibemus.



Comparet in ea Canobus ignem proculcans pedibus, eoque geſtu ſuam, de hoſte reportatam, victoriam iactare videtur. Quos enim veteres ſta-

---

(l) De *gemma antiqua, ſiſtente Europae raptum, imagine prorſus ſingulari, adumbratum*, pag. 23. ſqq. et in *diſſert. de Diana Solvizonia*, pag. 19. ſq.

(m) *Oedipi Aegyptiaci* Syntagm. 14. cap. 8. Tom. III. pag. 448. ſq.

ſtatuarii ſculptoresque effinxerunt aliorum cervices, impoſitis pedibus, deprimentes, eos de hoſtibus egiſſe triumphum innuere voluerunt; id quod monumenta antiqua, alia occaſione, iam olim, a nobis (n) in medium prolata, evincunt. Hinc ſcriptores antiqui, *hoſtium calcare cervices*, poſuerunt pro *plena potiri victoria*. OVIDIVS (o):

Ipſe pede impoſito caput exitiabile preſſit.

Et PAPINIVS STATIVS de Maximo, Domitiani Imp. equo (p):

Vacuae pro ceſpite terrae
Aenea captivi crinem terit ungula Rheni.

Eundem ritum atque derivatam inde loquendi formulam adhiberunt etiam orientales. Sic, IOSVA, quum vellet oſtendere, ſe prorſus deviciſſe quinque Cananaeorum regulos, iubebat Iſraëlitas (q): קרבו שימו את רגליכם על צוארי המלכים האלה *Accedite atque regum iſtorum cervicibus pedes imponite.* Et pii Hebraei, indicaturi, ſe, quondam, permiſſu divino, ab Aegyptiis victos fuiſſe atque in ſervitutem redactos, ita, apud vatem regium, canunt (r): הרכבת אנוש לראשנו. Ad litteram quidem haec verba ſonant: *Feciſti, ut capiti noſtro inequitaret homo*: contextus vero et ſanioris hermeneuticae regulae docent, eorum hunc eſſe ſenſum: „Tua, o! Deus, „contigit providentia, ut homo miſer (s) (rex Aegyptiorum) nos, quondam ſupplantatos, duro ſervitutis iugo oppreſſerit.„ Spectat huc quoque ſequens BARVCHI locus (t): Κατεδίωξέ σε ὁ ἐχθρὸς, καὶ ὄψει αὐτοῦ τὴν ἀπώλειαν ἐν τάχει, καὶ ἐπὶ τραχήλους αὐτῶν ἐπιβήσῃ. *Perſequutus te quidem eſt inimicus tuus, ſed tu videbis eius perditionem brevi, et eorum cervicibus ſuper-*

 gre-

(n) De *numo Alexandri M.* Cap. VIII. pag. 28. ſq.

(o) *Metamorphoſ.* lib. VIII. v. 425. Conf. CASP. BARTHIVS *ad Papin. Statii Thebaid.* lib. II. v. 713.

(p) Lib. I. ſilv. I. v. 50.

(q) Cap. X, 24.

(r) *Pſalm.* LXVI. 12.

(s) Ita vertimus vocabulum אנוש, partim, quia deductum eſt ab *imbecillitate*, uti docet *Alb. Schultens in Commentar. in Iobum*, pag. 2. partim, quoniam eo ſenſu paſſim adhibetur, vid. Pſ. VIII, 5. partim etiam, quia illa notio huic loco apprime convenit.

(t) Cap. IIII, 25.

gredieris. Quamquam autem libenter credo, RVFINVM et SVIDAM ea, quae de Canobi victoria referunt, haud ſuo confinxiſſe ingenio, ſed ex ſacrificulis aliisque ſuperſtitionis fautoribus accepiſſe: nihilominus tamen, cur hanc narrationem vanam praeciſe dicam falſamque, perſuaſiſſimumque mihi ſit, Canobum inter atque Chaldaeorum Ignem, de ſanctitate potentiaque, contentionem nunquam eſſe exortam, cauſſas habere mihi videor et iuſtas, et magnas. Equidem ſum minime ignarus, priſcos Chaldaeae incolas ſolem coluiſſe, lunam, planetas ceteraque caeli ſidera. Teſtes vero cum idoneos, tum locupletes, quibus communiatur, eiusdem populi religionem circa ignem eſſe verſatam, requirendo, in hoc usque tempus, oleum perdidi atque operam omnem. Ipſe THOM. STANLEIVS (u), qui ſtudioſe de Chaldaeorum commentatus eſt theologia, probaturus, hanc gentem flammas quoque in numinum ſuorum repoſuiſſe numero, quos auctores excitaret, praeter SVIDAM et RVFINVM, invenit omnino nullos. Vti vero horum ſcriptorum fidem ſubleſtam iudicamus merito: ſic nec auctor, hac in re, veritatis amanti placebit ISIDORVS (x), referens, *Nemrothum, gigantem*, quem vulgo Ninum et Chaldaeorum principem aiunt, *Perſas Ignem colere docuiſſe.* Iſti enim triumviri, quum poſt Chriſtum natum vixerint, ea, quae narrant, non viderunt, ſed audiverunt; non ſciverunt, ſed opinati ſunt, ac proinde ſummo reiiciuntur iure. Quod ſi autem maxime eſt dubium, immo a veritate plane alienum, Chaldaeos adoraſſe Ignem: qui fieri potuit, ut pro eius propugnaverint dignitate? At vero, aut nos fallunt omnia, aut quidam nobis, in eam diſcedentibus opinionem, obiicient, in Chaldaea non quidem ignem communem, ſed ſolarem eſſe adoratum, illumque huius fuiſſe ſymbolum; atque ita ſentire viros doctiſſimos, IOH. SPENCERVM (y), SAM. SHVCKFORDVM (z) aliosque.

(u) Loco citato.

(x) *Originum* lib. XIIII. cap. 3. pag. 1162.

(y) *De legibus Hebraeorum ritualibus*, lib. II. cap. 14. pag. 370. edit. Tubing.

(z) *In der Harmonie der heiligen und profan Scribenten in den Geſchichten der Welt*, Part. I. pag. 215.

que. Verum, ne ſic quidem fabellae iſti aliqua conciliabitur veri ſpecies; quam tunc demum habebit, quum erit probatum, veteres cupidine religionis ſuae propagandae flagraſſe, atque, ut numinum ſuorum maieſtatem aliis oſtenderent, varias peragraſſe regiones. Hoc autem, quia ceteris ſuperſtitioſorum decretis adverſatur, nunquam poterit demonſtrari. Qui enim in ea ſteterunt ſententia, numinum potentiam glebae veluti eſſe adſcriptam, eademque, extra ſolum, quod ipſis conſecratum, parum, vel nihil valere, illos conſilium de diis ſuis cum aliorum populorum idolis in certamen committendis, cepiſſe, ab omni abludit veroſimilitudine. Illud vero perſuaſum fuiſſe Chaldaeis, ex iis apparet, quae in ſacro codice de Syris, eorum vicinis, legimus relata (a). Hi nempe arbitrati, ſe propterea ab Iſraëlitis eſſe fugatos, quod Iehova montium, non vero vallium eſſet praeſes, victoriam ſibi pollicebantur certiſſimam, ſi in campis patentioribus, aliis diis attributis, et in quibus numen Iſraëliticum nihil poſſet efficere, pugnare ipſis contingeret. Quemadmodum igitur, quae SVIDAS et RVFINVS de Canobi ortu memoriae prodiderunt, non ſine ratione ſacrificulorum accenſemus commentis: ita etiam non magis fundata deprehendimus, quae vetuſta monumenta bene multa de loco huius numinis natali, in Graecia quaerendo, perhibent; quaeque reſpicit SVIDAS, quum refert, hydriae, cum Chaldaeorum deo certaturae, caput eſſe impoſitum ſtatuae, memoriae eius, qui in Menelai navi fuerit gubernator, dedicatae. Aiunt nempe ſcriptores Graeci, quos ex Romanis complures ſequuntur, Menelaum, Spartanorum regem, poſt Troiam expugnatam, una cum Helena, uxore, in Aegyptum delatum, naviculatorem ſuum, Canopum, Hemorrhoidis, ſerpentis, morſu ictum, amiſiſſe. Atque hunc Canopum, ab hero ſuo ſepulcro fanoque donatum, et oppido nomen dediſſe, et, ut Neptunum, in Aegypto eſſe cultum, adfirmant. Ita tradunt STRABO (b), CO-

(a) 1 Reg. XX. 23. ſqq.

(b) *Geographic.* lib. XVII. pag. 1152.

NON (c), NICANDER (d), AELIANVS (e), STEPHANVS, Byzantinus (f), SCYLAX (g), EVSTATHIVS (h), TACITVS (i), AMMIANVS MARCELLINVS (k), SERVIVS (l) aliique. Hinc eſt, quod Canobus, ab Amyclis, Tyndari regia, Ἀμυκλαῖοιος, *Amyclaeus*, DIONYSIO (m) et SILIO ITALICO (n); a patria vero, *Spartanus* vocatur PRISCIANO (o). At, dubitavit iam olim illuſtre ſaeculi ſuperioris ſidus, GERH. IOH. VOSSIVS (p), an tuto ſatis his auctoribus fides queat adhiberi. Immo ſuſpicatus eſt, Graeculos, ſua impulſos vanitate, quum audiiſſent, quoddam Aegyptiorum numen nomen gerere non diſſimile ei, quo olim Menelai navicularius appellatus, avidiſſime amplexos eſſe hanc ſuos celebrandi occaſionem, et venditaſſe, illum Aegyptiorum deum hominem fuiſſe Graecia oriundum. Quae quum ſcite non minus, quam vere coniecerit VOSSIVS: non poſſum, quin toto ipſi annuam capite. Sunt certe in promtu rationes nequaquam leves, ſed exquiſitae et ad probandum aptiſſimae, quibus evincitur, Graecos hac in re glorioſe eſſe mentitos. Nolumus iam contra eos militare argumentis, inde deſumendis, quod, non diffitentibus antiquis (q), longe ſit difficillimum tueri, quae de bello Iliaco, Troia capta Graecorumque in patriam reditu, in horum annalibus, memoriae prodita leguntur; licet, ubi probaverimus, ea fabuloſe narratis eſſe quam ſimillima, non obſcurum fuerit amplius, Menelaum, qui nunquam adierit Aegyptum, nec ibi gubernatorem ſuum in caeleſtium concilio collocaſſe, nec locum oppidumque de eius appellaſſe nomine. Erimus potius liberales fidemque haud dene-

---

(c) In *Narrationibus*, apud PHOTIVM in *Myriobiblo*, pag. 427. edit. Rothomag.

(d) In *Theriacis*, v. 309. ſqq.

(e) *De animalium natura*, lib. XV. cap. 13.

(f) *De urbibus*, voce Κάνωβος.

(g) In *Periplo*, pag. 43. edit. Hudſon.

(h) *Commentar. ad Dionyſii orbis deſcriptionem*, v. 13.

(i) *Annalium* lib. II. cap. 60.

(k) Lib. XXII. pag. 234.

(l) Ad *Georgic*. lib. IIII. v. 287.

(m) In *Orbis deſcriptione*, v. 13.

(n) *De bello Punico*, lib. XI. v. 433.

(o) *Perieget*. v. 19.

(p) *De origine et progreſſu idololatriae*, lib. I. cap. 31.

(q) Vid. ORIGENES *contra Celſum*, lib. I. pag. 32.

gabimus DIONI CHRYSOSTOMO (r), animi cauſſa atque, ut eo fortius contra HOMERVM poſſit declamare, fingenti, ſe ex Aegyptio quodam ſacerdote Onuphitenſi audiviſſe, in ſacris Aegyptiorum commentariis antiquisque στήλαις narrari, Menelaum, re, ad Troiam, a Graecorum exercitu, infeliciter geſta, in Aegyptum nave appuliſſe atque Peloponneſi oblitum, ibi ſedem fixiſſe ſuam. Verum, ne haec quidem ad narratiunculam de Graeca Canobi origine tuendam quicquam facere poterunt. Cogitemus enim, Menelaum eiusque comites in Aegypto fuiſſe alienigenas, et, quod maximum, Graeca gente oriundos: Cogitemus porro, quod ſacrae ſcripturae (s) firmatur teſtimonio, peregrinos homines adeo averſatos eſſe Aegyptios, ut, cum illis veſci, piaculum exiſtimaverint. Ponderemus praeterea, quod maximae inter Graios auctoritatis hiſtoricus, HERODOTVS (t), propria edoctus experientia, tradit, Aegyptiorum neminem Graeci viri os eſſe ſuaviatum; aut cultro, vel veru, vel lebete eius uſum; aut guſtaſſe carnem bovis puri, cultro Graeco diſſecti. Haec profecto ita ſunt comparata, ut Iudaeus ſit Apella, qui credat, Aegyptios Canopum, cuius vivi conſortium cane angueque peius fugerant, tantis, poſt mortem, proſecutos eſſe honoribus, ut eum non ſolum inter deos retulerint, ſed etiam, poſt Oſiridem Iſidemque, numen reputaverint maximum. Praeterea, tibicine admodum tenui fultum videmus argumentum, quo ſuam de Canobi origine ſententiam probare ſatagunt Graeculi. Deſumunt illud a nomine praefecturae, in qua oppidum, ſacris Canobicis celebre, erat ſitum. Quum illam Menelaiten appellari audierint, arbitrati, illud nomen ab Atride Menelao eſſe tractum: dubio carere omni iudicant, ſub Canobi imagine haud alium, quam Spartani iſtius gubernatorem, Aegyptios eſſe veneratos. Hac ſaltem ratione firmari putat DIO CHRYSOSTOMVS Menelai in Aegypto commorationem (u). Μενέλεως,

 in-

(r) In *Oratione Troiana, aut de eo, quod Ilium non ſit captum*, quae ordine eſt XI. pag. 161. B et pag. 188. B

(s) *Geneſ. XLIII.* 31.

(t) In *Euterpe*, Cap. XXXXI.

(u) Loco citato, pag. 188. B.

inquit, τοπαράπαν οὐχ ἧκεν εἰς Πελοπόννησον, ἀλλ' ἐν Αἰγύπτῳ κατέμενε. καὶ σημεῖά τέ ἐστιν ἄλλά τε τῆς ἀφίξεως, καὶ νομὸς ἀπ' αὐτοῦ καλούμενος· οὐκ ἂν εἰ πεπλανημένος καὶ πρὸς ὀλίγον ἀφίκετο. *Menelaus omnino non rediit in Peloponnesum, sed remansit in Aegypto: cuius rei cum alia sunt indicia, tum praefectura, ab eo denominata, monstrat, quae nunquam, si vel errore, vel ad modicum tempus illuc appulisset, id nominis obtinuisset.* Verum, appellatus est iste nomus non ab antiquiore illo, sed a temporis longe recentioris Menelao, fratre nempe Ptolemaei Lagi, quem hunc Cypro praefecisse, refert PLVTARCHVS (x). Testem huius rei sistimus STRABONEM, a IACOB. PALMERIO (y) integritati pristinae restitutum (z): Τὰ ἐν δεξιᾷ τῆς Κανωβικῆς διώρυγος, ὁ μὲν Μενελαΐτης ἐστὶ νομὸς ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πρώτου Πτολεμαίου καλουμένου, οὐ μὰ Δία ἀπὸ τοῦ ἥρωος, ὡς ἔνιοι φασὶν, ὧν καὶ Ἀρτεμίδωρος. *Ad dextram Canobicae fossae est praefectura Menelaitica, a fratre primi Ptolemaei appellata; et non, mehercule, ab heroë, ut quidam aiunt; e quibus etiam est Artemidorus.* Denique, quominus sibi vindicent Canobum Graeci, obstat Aegyptiorum, longe aliter de huius numinis origine sentientium, auctoritas; quae tanto maius habet pondus, quo est certius, indigenas accuratius res suas noscere, quam peregrinos. ARISTIDES est, qui Aegyptiorum de suo Canobo doctrinam ad nostram transmisit aetatem; quem idcirco hac de re disserentem audire, operae omnino erit pretium. Sic autem ille (a): Καὶ τοῦτ' οὖν ἔχει νῦν οὕτω, κἀκεῖνα φασὶν ὀρθῶς Ὅμηρος αὐτὸς ἀντιλέγει. πῶς; ὅτι οἶδε καὶ αὐτός που τὸν Μενελάου σὺν Ἑλένῃ πλοῦν εἰς Αἴγυπτον. ὁ τοίνυν Κάνωβος ὄνομα ἐστὶ Μενελάου κυβερνήτου, ὡς Ἑκαταῖος τέ δή φησιν ὁ λογοποιὸς, καὶ τὸ κοινὸν τῆς φήμης, οὗ τελευτήσαντος περὶ τὸν τόπον τοῦτον λείπεται τοὔνομα ταυτὶ φημὶ, ὡς Ἕλληνες λέγουσιν. ἐπεὶ ἔγωγε ἤκουσα ἐν αὐτῷ Κανώβῳ τῶν ἱερέων οὐ τοῦ φαυλοτάτου, ὅτι μυρίοις ἔτεσι πρότερον ἢ Μενέλαον ἐκεῖσε προσχεῖν, τὸ χωρίον οὕτως ὠνομάζετο. καὶ οὐκ ἄντικρυς μὲν ἔλεγε τοὔνομα ταῦτ' αὐτὸ ὡς ἀπογράψαι γράμμασι Ἑλληνικοῖς, ἀλλ'

(x) In *Demetrio*, pag. 895. C.

(y) In *Exercitationibus in optimos fere auctores Graecos*, pag. 352.

(z) *Geograph.* lib. XVII. pag. 1153.

(a) In *Oratione Aegyptiaca*, qua *refutatis aliorum opinionibus de caussis Nili crescentis, providentiae divinae rem totam tribuit*, Opp. Tom. II. pag. 359. sq. edit. Sam. Iebb.

ἀλλ᾽ ἦν μὲν ὥσπερ ἐμφερόμενον καὶ περιτρέχον, Αἰγύπτιον δὲ καὶ δυσγράμματον μᾶλλον. τόδ᾽ οὖν ἡμετέρᾳ φωνῇ δηλοῦν ἔφη χρυσοῦν ἔδαφος· εἰωθός τι τοῦτο τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπιφημίζειν τοιαῦτα τοῖς παρ᾽ αὐτοῖς χωρίοις, οἷτε Ἐλεφαντίνη, καὶ πάλιν Διὸς πόλις, καὶ Ἡλίου δὴ πόλις· οὕτω καὶ τοῦτ᾽ ἔφη τοὔνομα χρυσοῦ ἔδαφος εἶναι εἰπεῖν ἀνδρὶ Ἕλληνι. ἀλλ᾽ ἐῶ τοῦτο· καί τοι Αἰγυπτίους γε ἀκριβέστερον εἰκὸς εἰδέναι τὰ σφέτερα αὐτῶν ἤπερ Ὅμηρον τὸν ἐν τῇ Σμύρνῃ, καὶ Ἑκαταῖον τὸν ἐν Μιλήτῳ, οὐ μόνον κατὰ τοῦθ᾽ ὅτι τις ἂν φήσειεν ἁπλῶς εἰκὸς καὶ κοινὸν, ἀλλ᾽ ὅγε καὶ ἴδιον κατὰ τούτων ἔστιν εἰπεῖν, ὅτι διὰ παλαιότητα χρόνου καὶ τὸ μηδὲν αὐτοῖς τῶν ἐξ οὐρανοῦ πεπονθέναι τὴν χώραν, καὶ τῶν παρὰ τοῖς ἄλλοις ἐπιφανῶν μάρτυρες εἰσὶν αὐτοὶ, καὶ ἵστορες ἀξιόχρεω, καὶ πάντα φυλάττουσιν ἐν στήλαις ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀντ᾽ ἄλλων κτημάτων *Quapropter et haec nunc ita se habent, et illa recte, ni fallor, in contrariam partem Homerus ipse profert. Quomodo? Quoniam et ipse Menelaum in Aegyptum cum Helena tradit alicubi navigasse. Certe Canobus gubernatoris est Menelai nomen, ut Hecataeus et fama communis testantur, qui mortuus loco nomen dedit, ut aiunt Graeci. Nam ego quidem in ipsa urbe de sacerdote quodam non infimo cognovi, multis ante saeculis, quam appelleret eo Menelaus, locum nomen hoc habuisse. Neque tamen hoc idem nomen diserte proferebat, ut Graecis litteris scribi posset, verum, ut quasi alluderet, et Aegyptium esset, ac minus posset commode scribi. Iam illud nostra lingua sonare dicebat, aureum solum. Quemadmodum enim solerent Aegyptii suis locis talia dare nomina, ut Elephantinem, Diospolim, Heliopolim; sic etiam hoc nomen de aureo solo ductum esse. Sed hoc omitto; quamquam, Aegyptiis suas esse res notiores, sit verosimile, quam Homero Smyrnae, vel Hecataeo Mileti, non tam propter id, quod communiter dici posset, quam quia, quod horum est proprium, propter antiquitatem temporis, et regionem, quae semper a caelesti iniuria fuit illaesa, alienarum quoque rerum mirabilium testes ipsi sunt et interpretes fide digni, cunctaque in columnis templorum, quasi opes, conservant.* Non immerito hic rhetorum disertissimus, atque in grandi et ubere dicendi charactere praepollens, plus fidei adiunxit sacerdoti Aegyptiaco, quam popularibus suis, illumque et HOMERO, et HECATAEO, et communi famae praetulit. Nam in historia regionis cuiusdam magis audiendi sunt scriptores domestici, quam peregrini; quoniam hos

quae

quae audiverunt, illos, quae viderunt atque ex fontibus hauserunt limpidissimis, tradere, est suspicio. Praeterea, sacrificulum illum vera referre et potuisse, et voluisse, ARISTIDI non poterat non esse persuasum. Erat ille non unus ex infima atque indocta multitudine, sed interpres religionis, haud infimi ordinis, qui, ad interiora gentis suae sacra admissus, omnia dogmata edidicerat, ac proinde ortum quoque Canobi cognoverat. Quod ad sacerdotis huius vera dicendi attinet voluntatem, eam quidem ambiguam putat GERH. IOH. VOSSIVS (b). *Aristidis caussam*, inquit, *illud reddit suspectiorem, quod ista scripserit persuasus ab sacerdote Aegyptio: idque eo tempore, quo religio Christiana cum alibi tum maxime Alexandriae, et reliqua Aegypto, summa caperet incrementa. Natus enim Aristides sub Hadriano Imp. ac sub M. Antonino Caes. claruit: cui et familiaris admodum fuit. Assiduae tum dissertationes erant inter Christianos et gentilium sacrorum antistites. Nostris exprobrantibus, quod Aegyptii eos colerent, qui homines fuissent, ac saepe haud magnae rei; qualis nauclerus ille Canobus, hoc solo nomine in deos relatus, quia gratus fuisset Menelao: illi nihil istorum agnoscere, sed quaevis effugia meditari, ne inferiores Christianis viderentur: ut nihil novi fecerint, si Canobum esse vetus Aegyptiorum numen, longe Menelao, ac bello Troiano antiquius, praedicarint.* Non erat, vero cur vir doctissimus suspectam reddere allaboraret sacerdotis istius fidem; quo satis certo auctore nos posse stare comperisset: si ad ea, quae hoc in negotio consideranda, intendisset animum. Equidem haud ibo inficias, saeculo post natum Christum secundo, sacrificulos partae existimationis fructus conservare studuisse commentitiis de numinum potentia et sanctitate narratiunculis. Hoc quamquam ambabus, ut aiunt, manibus largior: non video tamen, quid caussae fuerit isti Aegyptio, cur eiusmodi artificium adhiberet in colloquio cum ARISTIDE, adeo longe a purissimis Christianorum sacris remoto, ut, quemadmodum ex eius vita (c) appa-ret,

(b) Loco, modo citato.

(c) Lege sis SAM. IEBB. *collectanea historica*

ret, totus superstitionis stercore esset immersus. Ponamus vero, haec Christianis, vanitatem religionis Canobicae deridentibus, reposuisse Aegyptios. Quid sperare inde potuissent lucri, si dixissent? Fallimini, qui, nos hominem mortuum adorare, putatis. Neque enim in Canobo Menelai veneramur gubernatorem, serpentis morsu exstinctum; sed colimus potius sub illo nomine aureum solum, id est, Canobicam civitatem, in regione fertilissima florentem. Hanc enim sacerdotis istius fuisse mentem, ex infra dicendis apparebit. Nihil profecto hac responsione profecissent ethnici. Nam aeque stulti sunt, qui miseros homines, dudum in cineres redactos, pro numinibus habent, quam, qui urbes, imaginibus repraesentatas symbolicis, religiose colunt. Cum itaque praeter necessitatem VOSSIVS Aegyptium illum suspicione adspersit, tum occurrunt in huius relatione varia, quae, veritati esse consentanea, uti hodieque potest demonstrari, sic quoque ex interiori Aegyptiorum disciplina petita videntur. Ita, recte dixit, Canobi nomen Graece esse reddendum per χρυσοῦν ἔδαφος, *aureum solum.* Conflatum enim est ex KAHI et NOYB; quemadmodum duumviri, rerum Aegyptiacarum peritissimi, MATVRIN. VEYSSIERE LACROZE et PAVLL. ERN. IABLONSKY (d) iam dudum agnoverunt. Prius vocabulum in Coptorum lingua, veteris Aegyptiacae filia, teste ATHAN. KIRCHERO (e), etiamnum superest atque *solum*, sive *terram* denotat. Posterius autem, apud antiquos Aegyptios, *aureum* significasse, dubium esse debet nemini. ERATOSTHENES (f) enim Thebaei regis nomen Χνοῦβος explicat, χρυσῆς. Et Ἄνουβις, sive, ut Aegyptii pronuntiabant NNOYB, vel, quod idem erat, ENNOYB, quem Graeci Mercurium reputabant, apud MANETHONEM (g), Χρυσοφαὴς Ἑρμῆς, *auro splendens*, vocatur. Nec minus interpretes Copti

 ad-

ca, Aristidis aevum et vitam spectantia, quae praefixa sunt huius Sophistae operibus, Oxonii 1722. 4. editis.

(d) Vide eius *epistolam ad* IOH. GEORG. MICHAELIS, quae exstat in fronte *Observationum sacrarum*, Traiect. ad Rhen. 1738. 8. editarum.

(e) De *lingua Aegyptiaca restituta*, pag. 250. et 332.

(f) Vid. PETR. DAN. HVETII *demonstratio evangelica*, pag. 122. edit. Amstel.

(g) *De Apotelesmatibus*, lib. II. v. 383.

adiectivum χρυσοῦς, *aureum*, in ſacro codice, ſemper et ubique vertunt ENNOYB (h). Praeterea, aptiori nomine, quam illo *aurei ſoli*, deſignari vix potuit agri Canobici indoles. Solebant veteres illud appellare *aureum*, quod in ſuo genere iudicabant praeſtantiſſimum. Ita *aureum ſaeculum* dicebatur olim, quo nullum felicius fortunatiusque unquam vidiſſe mortales, poëtae fingebant. Et verſiculi, hominibus, quae ſunt facienda, quaeque fugienda, praeſcribentes, qui ſub PYTHAGORAE nomine circumferuntur, multo rectius autem attribuuntur EMPEDOCLI, Agrigentino (i), ob maximam utilitatem ſummamque elegantiam, χρυσᾶ ἔπη, *aurea carmina*, vulgo nuncupantur. *Aureum* igitur *ſolum* illud, in veterum ore, ſi denotavit, quod fertilitate agrorum rerumque omnium, ad vitae alimenta et delicias neceſſariarum, abundantia terris reliquis antecellebat: ſummo iure illa appellatio indita eſt Canobicae regioni, quippe quam nobiliſſimae ubertatis et longe amoeniſſimam fuiſſe, ex monumentis antiquis licet cognoſcere. Caeli certe temperies, frugum mater feliciſſima, ibi optima erat; unde Canobus AMMIANO MARCELLINO (k) dicitur *locus auris et ſalutari temperamento perflabilis; ita, ut extra mundum noſtrum morari ſe quisquam arbitretur in illis tractibus agens, quum ſaepe aprico ſpiritu immurmurantes audierit ventos.* Fertilitatis vero praeconio condecoratur ab OVIDIO (l):

Iſi, Paraetonium, genitaliaque arva Canopi
Quae colis.

Genitale illud vocabant Romani, quod generandi praeditum erat facultate. Sic, apud VIRGILIVM (m), *genitalia ſemina* dici, quibus aliquid procreatur et gignitur, SERVIVS obſervat. Et *dii genitales*, in Latio, audiebant, quorum opera adiuti infantes in hanc prodire credebantur lucem (n).

Sunt

(h) Vid. PAVLL. ERN. IABLONSKY, loco citato.

(i) Vid. IOH. ALB. FABRICII *bibliotheca Graeca*, Vol. I. pag. 467. ſqq.

(k) Lib. XXII. pag. 234.

(l) *Amorum* lib. II. eleg. 13. v. 7.

(m) *Georgicorum* lib. II. v. 324.

(n) Vid. THOM. BARTHOLINI *antiquitatum veteris puerperii ſynopſis, a filio, CASP. BARTHOLINO, commentario illuſtrata*, pag. 51.

Sunt igitur *arva genitalia*, agri praeclara eminentes fecunditate. Equidem non sum ignarus, praeter NIC. HEINSIVM, etiam PETR. BVRMANNVM, cui splendidam operum NASONIS editionem acceptam fert orbis eruditus, pro *genitalia*, quod, fide codicum quorundam nixus, reprobat, legere, *genialia*, idque per *genio indulgens* interpretari. Verum, licet hanc probaverimus lectionem: tamen OVIDIVS pro soli Canobici fertilitate dicet testimonium. Quum enim *geniales* dicantur libidinosi et intemperantes; Venus autem, quae sine Baccho et Cerere friget, haud alibi laetius exsultet, quam in feracioribus campis: per nos tibi licebit, utri lectioni dicere velis: Tu mihi sola places; quamquam, si fas est, quod sentimus, fateri ingenue, nihil videamus, cur prior legendi modus, quem libri et veteres, et recentiores probant, sit deserendus. Vberrima hac frugum copia atque collectis inde divitiis Canobi habitatores invitabantur ad tempus otio voluptatibusque terendum; eaque propter, toto orbe antiquo, pessime audiebant. Haud facile diem ullum sine publicis solemnitatibus et ludorum celebratione sinebant praeterlabi. Ἀντὶ πάντων, inquit STRABO (o), ἐστὶν ὁ τῶν πανηγυριστῶν ὄχλος, τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας κατιόντων τῇ διώρυγι· πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ πᾶσα νὺξ πληθύει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ κατορχουμένων ἀναίδην μητὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολασίας, καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. *Ante omnia memorabilis est eorum turba, qui ad festivos conventus per fossam Alexandria descendunt. Nam singulis diebus ac noctibus navicularum plena est ea, virorum ac mulierum vectantium, qui extrema cum lascivia cantant atque tripudiant.* Hinc Canobus cognomine *hilaris* venit apud COLVMELLAM (p):

Nataque iam veniant hilari sampsuca Canopo.

Festivus autem appellatur a GRATIO FALISCO (q):

Vix operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes festivi turba Canopi.

Immo *mollis* nuncupatur a LVCANO (r):

(o) *Geographic.* lib. XVII. pag. 1152. sq.
(p) *De re rustica*, lib. X. v. 171.
(q) *Cynegetici* v. 42. sq.
(r) *Pharsalic.* lib. VIII. v. 543.

Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi

Eumdem titulum ipsi quoque adscripsit LATINVS PACATVS (s): *Illos tepens Pharus, et mollis Canopus, leviumque populorum altor, Nilus, emiserat.* Quid? turpissima libidine incensos fuisse cives Canobicos, non unum, ex vetustate, producere possumus testem. SILIVS ITALICVS (t):

Vt strepit assidue Phrygiam ad Nilotica loton
Memphis Amyclaeo passim lasciva Canopo.

PAPINIVS STATIVS (u):

Cur invida Memphis,
Curve Terapnaei lasciviat ora Canopi.

PROPERTIVS (x):

Scilicet incesti meretrix regina Canopi.

Et liberrimus morum censor, IVVENALIS, indicaturus, cives suos esse lubidinosissimos, adeo, ut Canobitæ, licet in voluptatibus volutabundi, tamen damnent illorum prodigiosam impudicitiam, canit (y):

Prodigia et mores urbis damnante Canopo.

Et iterum (z):

Sed luxuria, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.

Hanc ob caussam SENECA (a), dum vult ostendere, virum bonum, locum eligere debere, non solum corpori, sed moribus etiam salubrem, scribit: *De secessu cogitans, nunquam Canopum eliget, quamvis neminem Canopus esse frugi vetet. Ne Baias quidem: diversorium vitiorum esse coeperunt. Illic sibi plurimum luxuria permittit: illic, tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis solvitur.* Quum itaque, urbem Canobum qui habuere, frugibus vitaeque abundantes deliciis, pudorem nullo non tempore profanerint: mirum non est, *Canobismum* in proverbium abiisse, de hominibus

(s) In *Panegyrico, Theodosio dicto*, pag. 271. edit. Livineii.

(t) *Punicorum* lib. XI. v. 432. sq.

(u) Lib. III. silv. 2. v. 110.

(x) Lib. III. eleg. 9. v. 39.

(y) *Satyra* VI. v. 84.

(z) *Satyra* XV. 45.

(a) *Epistola* LI. pag. 468. edit. Lipsii.

nibus dicendum impuris et voluptatis improbissimae ministris; sicuti, diu ante DESID. ERASMVM (b), annotavit EVSTATHIVS (c). Recensita hactenus argumenta, nos si quid iudicamus recte, abunde evincunt, nihil prorsus esse, cur diffidamus fidei sacerdotis Aegyptiaci, qui, Canobi originem non in Graecia, sed intra Aegypti limites, investigandam esse, ARISTIDEM edocuit. Id tantum dolemus, eum non satis aperte, sed secundum docendi res sacras methodum, in Aegyptiorum scholis usitatam, obscure admodum indicasse, quidnam ipsius populares sub Canobi nomine atque simulacro fuerint venerati. Verum, facere nos oportebit periculum, num removere valeamus involucrum, atque ita ad id, quod voluit ille sacrificulus, penetrare. Ponderatis igitur ipsius verbis, ac theologiae superstitiosae natura rite considerata, intelleximus, nos fortassis a vero haud esse deflexuros, si crederemus, mentem huius sacerdotis eo rediisse, amphoreum numen, in numismate nostro signatum, esse imaginem urbis Aegyptiacae, Canobi, tantum libidine infamis, quantum celebris insigni abundantia. Neque veremur, ut alii rerum antiquarum periti nobiscum in hanc sententiam faciant discessionem, ubi et rationibus, et exemplis, ex vetusta memoria, in medium afferendis, perspicue, prout fieri poterit, demonstraverimus, homines priscos civitates suas, imaginibus symbolicis adumbratas, numinum loco, publice adorandas proposuisse. Immo spe tenemur haud dubia, fore, ut universi, qui veritate delectantur, nobis lubentissime subscribant: quum, secundo evictum erit, nihil, neque in Canobici numinis figura, neque in iis, quae de eius natura et proprietatibus, in theologorum veterum libellis, traduntur, occurrere, quin accurate exprimat urbis homonymae situm, naturam ceteraque, quae in illa consideranda olim veniebant, momenta. Sic enim superstitiosorum more comparatum erat, ut, idola, civitates ipsorum re-

 prae-

(b) Vide *Collectionem proverbiorum paroemiarum et parabolarum omnium*, Frf. 1670. fol. editam, pag. 466.

(c) In *Commentar. ad Dionysii orbis descriptionem*, pag. 5.

ſentantia, non ſolum de harum appellarent nominibus, ſed iisdem etiam urbium naturam, mores et vitae genus incolarum adſignarent. Quod ad primum attinet, paullo curatius expendenti, quamnam illi habuerint cauſſam, qui, ſupremi numinis notitia ſenſim oblitterata, ac tandem prorſus ex mortalium animis, deleta, ſuperſtitionis fuerunt conditores, cur iuſſerint populum varias adorare imagines, non poteſt non videri, rei huius rationem in eo fuiſſe ſitam, ut plebs in officio retineretur, nec, tumultibus excitatis, damnum inferret reipublicae. Ex philoſophis antiquis multi perſpexerunt, confictam eſſe de idolis opinionem publicae utilitatis cauſſa; ut imperiti, qui ratione non poſſent, deorum coërcerentur metu. Improbarunt quidem hanc ſententiam CICERONES, ethnicus (d) et Chriſtianus (e); ſed ille, ut, quam profitebatur, religionem ſpernere ne videretur; hic vero, quoniam metuebat, ut, dogmate illo ſtabilito, vera conſervaretur religio; quae tamen ſarta tecta manebit, licet ſapientes illos aſſenſu omnes accipiant. Quum igitur ſuperſtitio communis rei utilitati inſervire ſocietatumque humanarum commoda promovere deberet: multitudo indocta fortius impelli haud poterat ad ſtrenue pro republica pugnandum, atque ad eam, quibuscunque poſſet rebus, augendam, quam, ſi illi ipſius civitatis, in qua vivebat, imago exhiberetur, auguſte ſancteque colenda; ut, quam divinis mactaret honoribus, pro ea etiam ſtaret, nec, ut, ſua aliorumve culpa, caperet detrimentum, permitteret. Ex huiusmodi principio introducta eſt maiorum noſtrorum conſuetudo civitatibus, in deorum numero repoſitis, templa conſecrandi easdemque divinis proſequendi honoribus; quam per univerſum ferme antiquum terrarum orbem uſu fuiſſe tritam, exempla, in annalium monumentis obvia, extra omnem dubitationis collocant aleam. Vt ab illis globi noſtri terraquei, quas incolimus, partibus, occidentalibus nempe, incipiamus, veteres Britannos Brigen, ſive Brigantiam, oppidum, quod

---

(d) *De natura deorum*, lib. I. cap. 42.

(e) *De ira*, Cap. X. §. 47.

quod, ex THOM. GALE (f) ſententia, hodie *Broughton* appellatur, in caeleſtium collocaſſe concilio, teſtem habemus marmor, a IOH. HORSLEY (g) publici factum iuris, in quo iuvenis alatus, dextra ſpiculam, ſiniſtra globum tenens, in capite vero coronam turritam geſtans, conſpicitur, addita epigraphe:

BRIGANTIE. S. AMANDVS
ARCITECTVS. EX. IMPERIO. IMP. I.

Id eſt: *Brigantiae ſacrum Amandus architectus ex imperio imperatoris Iuliani*, ſcil. poſuit Ex hac inſularum feliciſſima ſi traiicimus in Galliam: videbimus, non incelebrem Aeduorum urbem, Bibracta, olim deae nomine eſſe nuncupatam, hodieque appellari in clypeo votivo, a CAROL. CAES. BAVDELOTIO (h) in lucem protracto. Eodem titulo Nemauſum quoque, Arecomorum metropolin, inſigniiſſe veteres, fidem faciunt marmora, a IAN. GRVTERO (i), THOM. REINESIO (k) et IAC. SPONIO (l) exſcripta. Superato Alpium iugo, ſi ad Italos pergamus: audiemus, ſupereſſe numos lapidesque, apud CAROL. PATINVM (m), IOH. VAILLANTIVM (n) et IAN. GRVTERVM (o) obvios, in quibus Roma dea ſalutetur. Obſervabimus ibidem, Surrentum quoque, regni Neapolitani oppidum, quod hodie *Sorrento* dicitur, eodem titulo decorare lapidem vetuſtum, a IAC. SPONIO (p) editum. Athenis Atticis nullius numinis cultus magis viguit, quam τῆς Ἀθηνᾶς, ſive *Minervae*; cuius deae ſtatuam ſymbolum fuiſſe Athenarum, atque huius ur-

---

(f) In ANTONINI *itinere Britanniarum, commentariis illuſtrato*, pag. 136.

(g) In *Britannia Romana: or the Roman antiquities of Britain*, ad pag. 192. num XXXIIII.

(h) *De l'utilité des voyages*, Tom. I. pag. 248.

(i) In *Corpore inſcriptionum*, pag. MLXXIIII. num. 9.

(k) In *Syntagmate inſcriptionum antiquar.* Claſ. I. num. 107. et Claſ. III. num. 11.

(l) In *Miſcellaneis eruditae antiquitatis*, Sect. III. pag 111.

(m) In *Numiſmatibus Impp. ex aere mediae et minimae formae*, pag. 3.

(n) In *Numis, a populis, Graece loquentibus, percuſſis*, pag. 302.

(o) Loco citato, pag. CV. num. 9.

(p) Loco citato, pag. 114.

bis habitatorum conditionem, ingenium, instituta, studia atque res gestas repraesentasse, ita perspicuum fecit IOH. GOTHOFR. LAKEMACHERVS (q), ut non coniectura, sed oculis veluti ac manibus nunc teneatur. Sic quoque ludus foret, argumentis, non quae persuadent, sed ferme cogunt, ostendere, semicapri Panos imagine veteres designasse Pheneum, haud ignobilem Arcadiae urbem, eiusque incolarum mores et negotia: hanc materiam praesens si caperet locus; nec constitutum haberemus, eam peculiari libello Academico, olim, si deus volet, edendo, perpolire. Nec minus Asiani hoc solemne servarunt, ut urbes suas divinis prosequerentur honoribus; quemadmodum exempla, plenis veluti calathis, in medium ab ANTON. BVLIFONIO (r) allata, dubitare sinunt neminem. Quod itaque populi orbis veteris plerique circa urbium suarum consecrationem observasse, abunde confirmant, quae hactenus disputavimus: illud in Aegypto quoque usu fuisse receptum, Canobi docemur exemplo. Sive enim numinis huius nomen consideremus simulacrumque, sicut hoc cum in numismate nostro, tum in aliis monumentis pingitur; sive etiam proprietates expendamus, quas ipsi attribuerunt superstitionis antistites: nihil sane animadvertimus, quin commode explicari queat de urbe homonyma. Huius enim nomen gerit amphoreus ille deus: immo eius statua Canobicae civitatis et situm, et mores, et vitae genus accurate exprimit. Quod paullo copiosius dilucidiusque ostendere, quum nostrarum sit partium: ne inanem suscipere videamur operam, iniicienda hic erit mentio IOH. HARDVINI (s), dubitantis, an unquam oppidum, Canobi nomine appellatum, in Aegypto exstiterit. *Canopum*, inquit, *oppidum Plinius nusquam apellat: adeo, ut, an ab oppido, an ab homine, vel aliunde, datum sit Canopico ostio nomen, nobis adhuc incompertum sit.* At, senten-

(q) In *Antiquitatibus Graecorum sacris*, Part. I. cap. 4. §. 5. pag. 113. sq.

(r) In *Ragionamento intorno d'un antico marmo discoverto nella città di Pozzuoli*; Neapol. 1694. 12. Conf. *Acta Eruditor.* an. MDCXCIIII. pag. 173. sq.

(s) In *Notis ad Plinii histor. nat.* lib. V. cap. 10. pag. 258.

téntiam hanc recitaſſe, idem eſt, ac eam refutaſſe. Quot enim, in urbium veterum catalogo, oblitteranda eſſent nomina: ea tantum ſi admittere deberent geographi, quae apud illum hiſtoriae naturalis auctorem occurrunt? Quid? quod ipſe PLINIVS, eo ipſo loco, ad quem adducta verba HARDVINVS adſcripſit, diſertiſſime teſtatur, a celebrioribus intra Nili decurſus oppidis, ſeptem celeberrimorum huius fluvii oſtiorum appellationes eſſe adſcitas. Iam vero, nomina, quibus urbs illa et deus amphoralis nuncupantur, quum inter ſe adeo ſint ſimilia, ut nulla ſyllaba, immo ne unica quidem litterula differant: rem quoque unam eandemque illa ſonare, vero eſt longe ſimillimum. Non poſſum autem, quin, data hac occaſione, in veram iſtius dictionis inquiram ſcribendi rationem; quippe quam in criticorum ſcholis controverſam eſſe, compertum habeo. CHRISTOPH. enim CELLARIO (t), adfirmanti, Graece molli littera, Κάνωβος, Latine vero dura, *Canopus*, eſſe ſcribendum, adverſantur veterum nonnulli, et in his praecipue STEPHANVS, Byzantinus (u), qui populares ſuos, quotquot eorum hoc nomen per β ſcripſerunt, erroris arguit, aſſenſorem nactus etymologici magni compilatorem, ſequentem opinionis huius rationem commentum (x): Κάνωπος δεῖ λέγειν, ὀυ Κάνωβος· ἐπειδὴ ὀυδὲν ἐις ος λῆγον ὑπὲρ δύο συλλαβὰς παραληγόμενον τῷ ωι ἔχει τὸ βῆτα ἀρκτικὸν τῆς τελευταίας συλλαβῆς, ἀλλ᾽ ἢ ἕτερον, ἢ τὸ π. Κρότωπος, ἄνθρωπος· ὅυτω καὶ Κάνωπος. Multum vero falluntur illi litteratores; ſiquidem vocum orthographia non tam ratiocinando, aut exemplis probatur, quam potius earundem diiudicari debet origine. Quod quum nemo omnium queat infitias ire; atque, iſtud vocabulum ex ΚΑΗΙ et ΝΝΟΥΒ eſſe compoſitum, ſupra evicerimus: clariſſime iam apparet, ſcribendi rationem, ab Etymologo damnatam, veram eſſe genuinamque; ſicuti quoque eam comprobare videtur QVINCTILIANVS (y). Scribit enim: *Cicero* Canopitarum *exercitum dicit, ipſi* (Aegyptii) Canobon *vocant.* Vt autem

O

(t) *Notitiae orbis antiqui* Part. III. pag. 15.
(u) *De urbibus*, vocabulo Κάνωπος.
(x) Voce Κάνωπος.
(y) *Inſtitutionum oratoriarum* lib. I. cap. 5. pag. 54.

tem nomen hydrii huius numinis ad Canobicam civitatem pertinet: sic etiam cetera, quae de illo docuerunt sacrificuli, ad hanc commode referuntur. Vrnula enim, cui virile impositum est caput, situm huius urbis declarat atque indicat, eam prope Nili ripam fuisse exstructam. Vt eo facilius aequiusque de huius coniecturae valore queant existimare antiquarii: oportebit nos, cum Canobi situm paullo accuratius describere, tum etiam veterum firmare testimoniis, Aegyptios aqualis urnae figura Nilum designasse. Quod ad prius attinet, Canobus, nomi Menelaitici metropolis, uti PTOLEMAEO (z) dicitur, testibus, MARCIANO, Heracleota (a) et AGATHEMERO (b), Africam ab Asia olim disterminavit. Hinc est procul dubio, quod AESCHYLVS (c) cecinit:

Ἔστιν πόλις Κάνωβος ἐσχάτη χθονός.

Vrbs est Canobus ultima terrae,

Aegyptiacae nimirum, Libyam versus. Ab Alexandria, ut memoriae prodiderunt STRABO (d) et, qui hunc geographorum praestantissimum sequitur, STEPHANVS, terrestri itinere, distabat centum viginti stadiis. Cum his duumviris consentiunt ferme AMMIANVS MARCELLINVS (e) et PHILARGYRIVS (f), quum, hocce oppidum a paullo recentioris Aegypti urbe principe duodecimo lapide disiunctum fuisse, scribunt. Quam intercapedinem quia non adeo longam iudicabat ATHENAEVS (g): non dubitavit, Canobum vicinum dicere Alexandriae. Stabat autem Canobus in Nili littore, et eo quidem loco, ubi, per ostium occidentale extimum, fluvius ille aquas suas cum marinis undis olim miscebat; quapropter etiam ostium illud *Canobicum* nominare solent geographi veteres. AESCHYLVS (h) certe hanc urbem collocat

Νείλου πρὸς αὐτῷ στόματι.

Ad ipsum Nili ostium.

Eun-

(z) *Geographiae* Lib. IIII. cap. 5.
(a) In *Periplo*, pag. 7. edit. Hudsoni.
(b) *Compendiariae geographiae expositionum* lib. I. cap. 3.
(c) In *Prometheo vincto*, v. 845.
(d) Lib. XVII. pag. 1152.
(e) Loco citato.
(f) Ad *Virgilii Georgica*, lib. IIII. v. 287.
(g) *Deipnosoph.* lib. VII. pag. 326. A.
(h) Loco citato, v. 846.

Eundem poſitum colligere etiam licet ex ratione itineris, quod Aegyptum luſtraturus inſtituit Germanicus. Hunc enim Nilo ſubvectum, quum referat TACITVS (i), primum perveniſſe Canobum, inde vero Heraclium: propter priorem quoque urbem Nilum fluxiſſe, apparet. Atque hinc explicanda erunt ſequentia, a quibusdam, inprimis vero a CHRISTOPH. CELLARIO (k), ſollerti alias orbis antiqui enarratore, in partem contrariam rapta STRABONIS (l) verba: Μετὰ τὸν Κάνωβον ἐστὶ τὸ Ἡράκλειον τὸ Ἡρακλέους ἔχον ἱερόν· εἶτα τὸ Κανωβικὸν στόμα, καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ Δέλτα. Haec ita exponuntur, quaſi ſignificare voluiſſet geographorum princeps, Alexandria profectos atque occaſu in ortum progreſſos primum obvium habuiſſe oppidum Canobum, in littore maris conditum, inde Heraclium perveniſſe, ac tandem poſtremum Nili attigiſſe oſtium. At vero, ſi TACITVS vera, uti arbitramur, de Canobi ſitu memoriae prodidit: STRABONIS mentem huc redire neceſſe eſt; „Canobum, a me-„ridie vicinam habentem Heracleinſium urbem, ſimiliter in Nili ripa „occidentali exſtructam, eodem flumine allui, eoque, in mare ibi ſe exone-„rante, traiecto, initium capere Delta.„ Quamvis autem liquet, Canobum olim in fuiſſe eo loco, ubi Ἀγαθὸς δαίμων, *bonus Genius*, quo nomine Nili alveus, a ſolis occaſu extremus, appellatur PTOLEMAEO (m), mare influebat: hoc tamen tempore, poſtquam Nilus, terra, quam ſecum vehit, aggeſta, mare in continentem vertit inferioremque auxit Aegyptum, huius urbis rudera a mari, milliaribus ferme tribus, ſunt remota. In veſtigavit ea BENED. DE MAILLET, quem de illis diſſerentem audiiſſe iuvabit. Sic autem ſcribit (n): „J'ai parcouru les environs de Roſette avec la „derniere exactitude, pour reconnoitre ſi je n'y trouverois pas quelques „veſtiges de bâtimens anciens; mais je me ſuis donné pour cela beau-„coup de peine inutilement. Les montagnes qu'on rencontre au tour

(i) *Annalium* lib. II. cap. 60.
(k) Loco citato.
(l) Loco citato, pag. 1153.
(m) *Geographiae* lib. IIII. cap. 5.
(n) *Deſcription de l' Egypte*, pag. 100. ſq.

„de cette ville, ne ſont composées que de ſables mouvants; s'il y a „jamais eu quelques édifices dans le voiſinage, ou le tems les a abſo„lument détruits, ou bien ils ſont aujourd'hui enſévelis ſous les ſa„bles. Cependant à quelque diſtance au deſſus de Roſette en remon„tant le Nil, on apperçoit une montagne, ſur laquelle ſe voit enco„re une ancienne tour, et diverſes ruines. Les cimetiéres de la vil„le ſont de ce côté là. Cette tour ſert à découvrir les bâtimens, qui „abordent à la côte. Lorſqu'on eſt ſur la hauteur, à la pointe de la„quelle la tour eſt ſituée du coté de Roſette, on apperçoit que cette „élévation, qui forme un demi cercle parfait, renferme un enfonce„ment, qu'on ne peut guére regarder comme l'effet du hazard. Pour „moi je trouve aſſez naturel de penſer, que c'eſt un ouvrage que l'art „a ménagé avec un grand travail, pour ſervir d'azile aux vaiſſeaux, „qui étoient introduits dans ce demi cercle. Peut-être étoit-ce le port de „l'ancien Canope, et l'endroit où mouilloient du tems des Romains „les bâtimens, qui entroient dans le Nil. Je croirois encore aſſez vo„lontiers que cet ouvrage, qui forme une demi lune, répondoit alors „par celle de ſes extrémités, qui regarde la mer, à la barre du fleuve „aujourd'hui éloignée de cet endroit de plus de trois milles. La vil„le pouvoit être bâtie en amphitheâtre au tour de cet enfoncement, „et ſur la montagne qu'on voit en deçà du Nil qui paſſe encore au„jourd'hui proche de ce demi cercle, ſans cependant le cotoyer abſo„lument. A l'égard du fond, il s'eſt rempli inſenſiblement faute d'en„tretien, et il n'eſt reſté que le ſeul lit du fleuve. Cette demi lune, „qui d'une de ſes pointes à l'autre a environ ſept à huit cens pas „d'étendue, couvroit préciſément les vaiſſeaux du vent le plus dange„reux, qui ſouffle ſur cette côte, et ils devoient être dans cet enfon„cement comme dans un baſſin tranquile. L'opinion des habitans de „Roſette ſemble fortifier le ſentiment de ceux, qui croyent, qu'autre„fois il y avoit eu une ville bâtie dans cet endroit. En effet ils di„ſent, que de la tour, dont j'ai parlé, on trouve des conduits ſouter„rains, qui menent juſqu' à Alexandrie. Peut-être qu'en creuſant

dans

„dans divers endroits de ce petit golphe, on pourroit trouver encore „quelques restes, quelques vestiges d'anciens édifices, et s'assurer ainsi „de la verité de cette opinion.„ Quam de hodierno Canobi positu coniecturam licet eius auctor dubitanter proposuerit: facile tamen a me impetro, ut, eam haud prorsus infeliciter esse captam, existimem; idque propterea, quia eam egregie confirmari video a tragico, paullo ante laudato, AESCHYLO, dum oppidum illud exstructum fuisse canit (o) πρὸς προσχώματι. Hocce enim vocabulum, quod apud populos, Graece loquentes, denotavit *aggerem*, *humo aggesta*, *eductum*, non inepte exponitur de semicirculari illo vallo, quod MAILLETVS vidit, atque non solum naves a ventorum furore tutas praestitit, sed etiam, ut ego quidem opinor, aquis Niloticis et continendis, et, per memoratum canalem, Alexandriam deducendis inserviit. *Chomata* enim Aegyptios dixisse, *aggeres, per quos incrementa Nili dispensantur, et coërcentur, et diminutiones aeque coërcentur*, auctorem habeo VLPIANVM (p). Atque indicatum hunc Canobi situm significat hydria, virili contecta capite, quippe quam Nili fuisse symbolum, eamque sacerdotes Aegyptios, in occulto suo scribendi genere, pinxisse, quum fluvium illum voluissent designare, docet HORAPOLLO (q): Νεῖλου ἀνάβασιν σημαίνοντες, ὃν καλοῦσιν Ἀιγυπτιστὶ Νοῦν, ἑρμηνευθὲν δὲ σημαίνει νέον, ποτὲ μὲν λέοντα γράφουσι, ποτὲ δὲ τρεῖς ὑδρίας μεγάλας. *Nili inundationem significantes, quem Aegyptio nomine Nun, quod, si interpreteris,* novum *sonat, appellant, modo leonem pingunt, modo tres magnas hydrias.* Nec non SERVIVS (r): *Isis per sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus recessusque significat: per situlam, quam sinistra manu retinet, ostendit affluentiam omnium lacunarum, id est, fossarum, in quas Nilus stagnans recipiebatur.* Immo ob ingentia beneficia, quae Nilo accepta referebant Aegyptii, urnas, fluvii istius symbola,

O 3 divi-

(o) Loco citato.

(p) *Leg. 10. π. de extraordinariis criminibus.*

(q) In *Hieroglyphicis*, lib. I. cap. 21. pag. 36 edit. de Pauw.

(r) Ad *Aeneid.* lib. VIII. v. 696. Conf. GISB. CVPERI *Harpocrates*, pag. 46. sq. ubi duae Isidis, qualis a SERVIO describitur, statuae occurrunt.

divinis prosequebantur honoribus. APVLEIVS (s): *Gerebat alius felici suo gremio summi sui numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non ferae, ac ne hominis quidem ipsius consimilem: sed sollerti repertu, etiam ipsa novitate, reverendam altioris utcunque et magno silentio tegendae religionis argumentum ineffabile, sed ad istum plane modum, fulgente auro, figuratum. Vrnula faberrime cavata, fundo quam rotundo miris extrinsecus simulacris Aegyptiorum effigiata. Eius orificium non altiuscule levatum, in canalem porrectum, longo rivulo prominebat. Ex alia parte vero multum recedens, spatiosa dilatione, adhaerebat ansa: quam contorto nodulo supersedebat aspis, squameae cervicis striato tumore sublimis.* Addo VITRVVIVM (t): *Qui sacerdotia gerunt, moribus Aegyptiorum, ostendunt, omnes res e liquoris potestate consistere. Itaque quum hydriam tegunt, quae ad templum aedemque casta religione refertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad caelum sublatis, inventionibus gratias agunt divinae benignitatis.* Quod ad VIRGILII attinet interpretem, quem modo sumus testati, eius quidem fidem auctoritatemque in suspicionem transferre conatus est in rebus antiquis litterate peritus CAROL. CAESAR. BAVDELOTIVS (u); non alia vero de caussa, quam quod animo nequiret comprehendere, quid commercii fuerit omnium lacunarum affluentiae, sive plenis Nili alveis cum hydria; et, quibus rebus adducti Aegyptii huius figura fluvium designaverint. Aliter procul dubio censuisset, nec sollicitasset SERVIVM: si HORAPOLLINIS testimonium, plane paullo ante allatum, ab ipso fuisset observatum. Et, sibi in memoriam si revocasset veterum consuetudinem fluvios depingendi habitu virorum, aut mulierum, plerumque decumbentium atque urnulis, aquas vomentibus, innixorum; cuius exempla in numis longe sunt frequentissima (x): facile vidisset, habuisse Ae-

(s) *Metamorphos.* lib. XI. p. m. 693.

(t) In *Praefatione* lib. VIII. pag. 151. edit. Elzevirian.

(u) *Utilité des voyages*, Tom. I. pag. 216.

(x) Vid. IOH. VAILLANTII *numismata Impp. Roman. a populis, Graece loquentibus, percussa*, pag. 342. sqq.

Aegyptios, cur hydriae figura Nilum adumbrarent. Tanto autem lubentius hoc Nili ſymbolum uſurpaſſe, idemque auguſte ſanſteque venerati videntur fluminis iſtius accolae, quo maiorem fructum percipiebant ex certo quodam vaſorum fictilium genere, quod hodieque mirabiles utilitates afferre Aegyptiis, narrant, qui maiorum et noſtra memoria orientales terras peragrarunt, NIC. MELCHIS. THEVENOTIVS (y) et PAVLL. LVCAS (z). In ſuperioris nempe Aegypti oppido, quod *Minie* appellatur, ex argilla coquuntur urnae, albi coloris et capaciſſimae, quae inde, per omnes ferme terras, quarum habitatores Nili undis ſitim reſtinguunt, venduntur. Ea hisce hydriis ineſt virtus, ut Niloticam aquam, quae turbida et lutulenta ex ipſo fluvio hauritur, lucidam efficiant atque puriſſimam. Praeſtant hunc uſum tunc inprimis, quum, poſtquam repletae ſunt, duabus tribusque amygdalis dulcibus intriſecus tamdiu fricantur, donec amygdalae ſint contritae. Praeterea, quum eaedem hydriae, aqua impletae, in loco quodam, ventis pervio, ſuſpenduntur, brevi tempore Niloticam aquam, admodum tepidam, reddunt frigidiſſimam; ut Aegyptii et glacie, et nive, ad potum refrigerandum, commode careant. Qui igitur cogitant, illarum regionum habitatoribus, quas radii ſolis acuti adurunt, aquam limpidam pariter ac frigidam non poſſe non eſſe gratiſſimam; qui praeterea doctoribus PLVTARCHO (a) BENED. DE MAILLET (b) aliisque didicerunt, in Aegypto pluvias nullas, aut ſaltem longe rariſſimas eſſe, puteos autem fontesque aquam habere deteſtandam, ac proinde ſolam Niloticam potui eſſe idoneam; qui denique ex GALENO (c) acceperunt, hydrias, modo deſcriptas, haud nuperrime, ſed ante ſaecula complura, a veteribus Aegyptiis, hominibus natura laborioſis atque ingenio valentibus, eſſe adinventas: eos non prorſus aſpernaturos eſſe, confidimus, no-

---

(y) *Itinerarii per Europam, Aſiam et Africam* Part. I. lib. II. cap. 72. pag. 341. ſq.

(z) *Itinerarii orientalis* lib. IIII. pag. 264. et lib. V. pag. 111.

(a) In libello *de audiendis pöetis*, pag. 15. B. et *de facie in orbe lunae*, pag. 939. C.

(b) Loco citato, pag. 16.

(c) *De ſimplic. medic. facultat.* lib. I. cap. 4.

noſtram, quam cepimus, coniecturam, Aegyptios, commemorato inſigni hydriarum illarum uſu impulſos, Nilum, quem non ſolum ληΐων πατέρα, *frugum parentem*, ut a THEMISTIO (d) appellatur, ſed etiam χορηγὸν τῶν ὅσα φέρειν εἶδεν ἐκεῖνος, *omnium rerum praebitorem, quas is afferre ſolet*, quo elogio condecoratur a IVLIANO (e), reputabant et amphorae figura pinxiſſe, et ſub eadem caſtiſſime coluiſſe. Quemadmodum igitur hactenus disputata veri reddunt ſimile, urnam, virili exornatam capite, declarare, Canobitas ad Nili habitaſſe ripam: ſic poſitus quoque huius urbis anſam praebuiſſe videtur fabulae de numine Canobico, praeſentiſſimo contra flammarum furorem remedio. Nilum nempe contra ignis vaſtationem munire patriam ſuam, non ita inepte docuerant theologi Aegyptiorum antiquiores. IVLIANVS (f): Λέγουσιν Ἀιγύπτιοι τὸν Νεῖλον παρ᾽ αὐτοῖς εἶναι τἄλλα σωτῆρα, καὶ ἐυεργέτην τῆς χώρας, καὶ ἀπείργειν αὐτοῖς τὴν ὑπὸ τοῦ πυρὸς φθορὰν, ὁπόταν ἥλιος διὰ μακρῶν τινων περιόδων ἄστροις γενναίοις συνελθὰν, καὶ συγγενόμενος ἐμπλήσῃ τὸν αέρα πυρὸς, καὶ ἐπιφλέγοι τὰ σύμπαντα· οὐ γὰρ ἰσχύει φασὶν ἀφανίσαι, οὐδὲ ἐξαναλῶσαι τοῦ Νείλου τὰς πηγάς. *Aegyptii de Nilo ſuo memorant: cum aliis in rebus regioni ſuae ſalutarem ac beneficum eſſe, tum nimii caloris atque ignis vaſtationem tabemque probibere; quoties nimirum ſol per longos anfractus ac circuitus ſidera quaedam vehementia percurrens, ac congrediens, ingenti calore aërem complet, et incendio univerſa corrumpit. Neque enim poteſt, inquiunt, abſumere Nili fontes atque exſtinguere.* Quod autem vetuſtiores religionis Aegyptiacae antiſtites de Nili undis univerſis vere praedicaverant, eas ſolis temperare calorem, nec ab huius ſideris radiis poſſe conſumi, atque hac ratione prohibere, quominus Aegyptus vaſta evaderet ſolitudo: illud recentiores ad ſolum Canobicum oſtium poſſe referri exiſtimabant; quoniam hic alveus maximam aquae Niloticae partem in mare devehebat, eaque propter ὁ μέγας ποταμὸς, *fluvius magnus*

(d) In *Oratione hortatoria ad philoſophiam*, pag. 305. D. edit. Harduin.

(e) *Epiſtola* I. Opp. pag. 372. A. edit. Spanhem.

(f) In *Encom. imperatric. Euſebiae*, pag. 119. A.

gnus, teste PTOLEMAEO (g), dicebatur. Magis deinceps aucta superstitione, Canobus omni igni dominus est praefectus; sic, ut, ad incendia inhibenda isto idolo nihil esse efficacius, persuasum esset credulis. Quid? quod huic doctrinae originem suam debet commentum, plane paullo ante explosum, de Canobo Ignis, Chaldaeorum numinis, victore. Haud ignorant, qui orbem terrarum suis lustrarunt oculis, urbium, in ipsis oceani littoribus sitarum, aut saltem haud procul inde remotarum, habitatores plerosque omnes navalis disciplinae esse peritissimos. Non difficulter igitur a me impetro, ut credam, cives etiam Canobicos sibi egregiam rerum maritimarum notitiam, longo usu, acquisivisse; licet, quod ingenue fateor, me quicquam hac de re apud veteres legisse, haud meminerim. Constat etiam inter omnes, qui, recentiori memoria, nave in Aegyptum iter confecerunt, Nili ostia neminem sine maximo naufragii periculo posse ingredi, nisi cui praesto sit nauta, scopulorum atque brevium, qui fluvium illum tenent obsessum, gnarus, qui exitium, qua via sit evitandum, ostendat. Eandem, iam antiquo aevo, istorum locorum fuisse naturam, largiantur necesse est geographiae antiquae studiosi. Hos enim fugit minime, Aegyptum, praesertim inferiorem, Nili, ut HERODOTVS (h) et STRABO (i) loquuntur, esse donum, atque hocce flumen, quia multum caeni arenaeque secum vehit, sua ipsius ostia iam tunc sabulo obstruxisse. Quapropter, nec priscos homines, sine perito navis magistro, potuisse adire Aegyptum, a veritate non multum abludit. Qui autem notitiam habere poterant maiorem locorum, in Nilo periculosorum, quam Canobo orundi, qui, ad celeberrimum huius fluvii ostium habitantes, quotidie in eo navigabant? Quos itaque meliores itineris duces eligere poterant advenae, quam maritimae huius civitatis membra? Aut igitur me fallunt omnia, aut summam hanc Canobitarum rei navalis peritiam respexerunt veteres, qui, teste PLVTARCHO (k), Canobicum numen κυβερνήτην, *gubernatorem*, cogno-

(g) *Geographiae* lib. III. cap. 5.
(h) In *Euterpe*, Cap. V.
(i) *Geographic.* lib. I. pag. 53.
(k) De *Iside et Osiride*, pag. 359. E.

minarunt: quod quum ad aures perveniret Graecorum, hique essent memores, Menelaum, Spartanorum principem, habuisse naviculariun, nomine Canobum, eo lubentius in sua perstiterunt sententia, eoque firmius crediderunt, illum popularem suum et nomen urbi Aegyptiacae, et numini Canobico originem dedisse. Adduximus supra gemmam (l), in qua deum Canobum, inter gryphi, pede dextro rotam tangentis, alas positum, in capitis vertice ornamentum, alis non dissimile, gerere, conspicimus. Arcanas picturae huius significationes omnes si investigare permitterent tenebrae, quibus dogmata resque suas, data opera, obduxerunt Aegyptii vetusti: plura fortassis, ad sententiam nostram confirmandam apprime facientia, in medium possemus producere. Nunc vero id tantum coniectura assequimur, alas, quarum vestigia etiam in numismate nostro comparent, symbolum esse agilitatis navium Canobicarum. Nititur haec divinatio nostra veterum consuetudine navium vela alarum designandi vocabulo, quam servasse videmus HESIODVM (m):

Ἐγκόσμως στολίσας νηὸς πτερὰ ποντοπόροιο.

Recte contrahens navis pontigradae alas.

Nec non PINDARVM (n):

Ἀγάνορος ἵππου θᾶσσον
καὶ ναὸς ὑποπτέρου, παντᾳ
ἀγγελίαν πέμψω ταύταν.
Feroci equo citius
et nave alata, quoquo versum
nuntium emittam hunc.

Et, ex Latinis, praeter multos alios, VIRGILIVM (o):

Tentamusque viam et velorum pandimus alas.

Alas vero quibus rebus attribuebant prisci homines, eas mobilitate celerrimas esse volebant significare. Sic, scriptores sacri spiritibus caelesti-

(l) Pag. 82.

(m) *Opera et dies*, v. 628.

(n) *Olympionic.* od. VIIII. v. 35.

(o) *Aeneid.* lib. III. v. 520.

lestibus (p), aurorae (q), equitatui (r), telis (s) aliisque rebus, velocitate conspicuis, pennas adsignant. Ad quae aliaque divinarum tabularum loca scite observat MAIMONIDES (t): דע כי כל מתנועע תנועה מהירה מאד יתואר בעופפות להורות על מהירות התנועה *Scito, ea omnia, quae motu veloci moventur, propter motus celeritatem, dicuntur volare.* Similiter profani etiam homines Saturno, praesidi temporis, quod, ut SENECAE utar verbis (u), *in cursu semper est; fluit et praecipitatur; ante desinit esse, quam venit*, alas affinxerunt cum in aliis monumentis, tum in numo, ab Heracleotis, in honorem Elagabali, cuso et a CAROL. PATINO (x) edito. Et, quis nescit, fulmen toties in aere tam Graeco, quam Romano, alatum conspici, atque etiam CLAVDIANVM (y) canere?

Ni Iupiter aethere summo
Pacificas rubri torsisset fulminis alas.

Rumorem quoque alis praeditum sistit OVIDIVS (z):

Rumor (ut est velox) agitatis pervolat alis.

Plura, quae huc spectant, exempla notare, supersedeo: quoniam ea desiderantibus satisfacient GISB. CVPERVS (a) et WILH. ERN. EWALDVS (b). Quae quum ita sint; atque disputata hactenus, si minus extra omnem dubitationis aleam ponant, tamen veritati reddant simillimum, Canobicum numen pro symbolo fuisse habitum homonymae civitatis: haud prorsus coniectura aberrabimus, si, plumbeum nostrum, numinis istius imagine decoratum, eiusdem urbis cives signandum curasse, adfirmamus. Tanto magis probabile hoc, uti speramus, iudicabunt numismatices studiosi, quo certius inter eos omnes constat, veteres Aegyptios haud facile rerum aliarum, quam numinum patriorum

P 2

(p) *Daniel.* VIIII. 21. *Apocal.* VIII, 13.
(q) *Psalm.* CXXXVIIII. 9.
(r) *Habac.* I, 8.
(s) *Psalm.* XCI, 5.
(t) In מורה נבוכים, s. *doctore perplexorum*, Part. I. cap. 49. fol. 31. col. a. edit. Venet. 1551.
(u) *De brevitate vitae*, Cap. X. pag. 221.
(x) *Numismat. Impp. Rom. ex aere mediae et minimae formae*, pag. 333.
(y) *De raptu Proserpinae*, lib. II. v. 228.
(z) *Fastorum* lib. VI. v. 527.
(a) In *Consecratione Homeri*, pag. 169. sqq.
(b) *Emblematum sacrorum* Part. III. pag. 463.

rum imagines in numis suis expressisse. Ita, Cynopolitae Anubidem, cum capite canino, Mendesii hircum, Aegyptiace *Mendes* appellatum (c) sancteque ab ipsis cultum (d), et Panopolitae Pana, in aere argentoque suo contemplandos exhibuerunt. Silentio iam praetereo alia exempla, larga manu allata cum ab aliis numismatographis, tum praecipue a IOH. VAILLANTIO (e); qui etiam numum (f), Hadriano imperante, cusum et in altera parte amphorale illud numen ostendentem, affert, quem Canobitarum esse opus, addita epigraphe: ΚΑΝωβιτῶν, dubitare sinit neminem.

(c) Vid. HERODOTVS in *Euterpe*, Cap. XXXXVI.

(d) Vid. STRABO *geographicorum* lib. XVII. pag. 1167. et IVVENALIS *satyra* XV. v. 12.

(e) In *Aegypto numismatica*, subiecta *Historiae Ptolemaeorum*.

(f) Loco citato, pag. 205.




CAPVT

CAPVT VII.

De altera lateris aversi icuncula, cuiusnam illa sit, magnopere dissentiunt antiquarii. Patini explicatio improbata. Perperam quoque, imagunculam esse Eumenuthidis, Canobi, Menelai gubernatoris, uxoris, censuit Nicasius. Nihilo verosimilior de eius significatione Pedrusii opinio. Repraesentari illa potius Isidem, insignibus, huic deae propriis et in numo nostro obviis, evincitur. Isis, numini Canobico iuncta, indicat, plumbeum nostrum a Canobitis Aegyptiacis, non vero Africanis, esse cusum. Superstitiosos olim integras quoque regiones, imaginibus symbolicis consecratas, adorasse, exemplis compluribus probatur. Sub Isidis simulacro Aegyptii patriam suam sunt venerati. Deam hanc nihil esse aliud, quam terram, eiusque nomen, apud Aegyptiace loquentes, terram *sonasse, prisci auctores testantur. Hinc coronam turritam, aut bovis cornua in capite gestat.* Terrae *vocabulo veteres saepissime patriam tantum suam denotarunt. Aegyptus* הארץ *et* ἡ γῆ, *a sacris profanisque scriptoribus, appellatur. Isis non universam, sed Aegyptiacam modo terram adumbravit. Nilus, quoniam, quum extra alveum transfunditur, maximam Aegypti partem inundat,* mare *appellatur. Inde Isis Pelagia quondam dicta. Gemma thesauri Regis Borussorum Potentissimi nova collustratur luce. Aegyptii, primi fortassis rei nauticae inventores, scientiam hanc excoluerunt; eaque propter inter Isidis insignia navigium comparet. Eandem ob caussam haec dea numinibus navigantium tutelaribus videtur adscripta. Vela Aegyptiaca veteres maximi aestimabant. Hinc Isis velificia dicitur invenisse, eidemque alae affinguntur versicolores. Navium vela apud antiquos picta esse solebant. Osiridis et Isidis coniugium prognatusque ex eo Orus significant, Nilum agros Aegyptiacos fecundare. Quoniam Aegyptus frumento feracissima, Isis nunc spicea corona conspicitur redimita, alias vero calatho caput habet tectum. Eadem regio omni ci-*

borum genere et gulae deliciis abundat, eamque ob caussam Isis Fructifera cognominata. Biga marmorum antiquorum explicata. Isis Fructiferus. Deos utriusque sexus participes fingebant superstitiosi. Aegyptum Italiae aliarumque regionum incolis panem praebuisse, significatur multimammiae Isidis imaginibus. A summa regionis huius ubertate xylini, ex quo vestimenta conficiebantur sacerdotum, virorum honoratiorum et delicatulorum, Isidis Linigenae titulus est tractus. Aegypti, floribus semper propemodum ornatae, varium, pro anni tempestatum diversitate, aspectum vestes Isidis coloribus multis variegatae, intertextis floribus compluribus, indicant. Ob magnam viperarum in Aegypto copiam Isidis simulacra serpentibus sunt circumdata, aut coronata aspidibus. Hoc ornatu moti videntur, qui Isidem inter Eumenides recensuerunt. Ibis, Aegypto propria avis, agros serpentibus purgat, eamque ob rem frequenter inter Isidis ornamenta conspicitur. Aegyptios corpore fuisse salubri et longaevos, contra Herodotum et Isocratem, negatur. Frequentissimi in Aegypto sunt scroti pedumque tumores, oculorum morbi, exanthemata, pestilentia aliaeque infirmitates; quos, quoniam ex huius regionis indole oriuntur, Isidem iratam immittere perhibebant sacrificuli. Aegyptus complures profert herbas salutiferas, eiusque pristinis habitatoribus prima medicae artis gloria debetur. Apud eos singulis morbis peculiares medebantur medici; unde horum maximus in Aegypto antiqua numerus. Isis medicinae credita inventrix et Salutaris appellata; eidemque vota, in morborum periculis, facta ac deinceps persoluta. Praeter civitatem Aegypti Canobicam alia eiusdem nominis urbs in Africa floruit, cuius situs describitur. Ibidem exstit quoque oppidum Canopitanum. Consuetudo veterum urbes suas patrias ab aliis oppidis homonymis, in aere suo, et quidem variis modis, distinguendi, exemplis quibusdam confirmatur.

Con-


ontemplaturi nunc imagunculam, e regione Canobi, ad sinistram, stantem, atque inquisituri, quodnam numen Aegyptiacum illa repraesentare voluerit monetarius, animadvertimus, viros eruditos, qui numismatis nostri iniecerunt mentionem, de eius significatione inter se discordare, nec eorum quemquam rem acu tetigisse. Nam CAROL. PATINVS (g), hanc quoque icunculam esse Canobi, decernere non dubitavit. Qui vero abs se impetrare potuerit vir perspicacissimus pariter, ac in hoc studiorum genere longe versatissimus, ut in eam discesserit sententiam, est sane, quod demiremur; quandoquidem nihil potuit habere, quo illi vel minimam veritatis conciliaret speciem. Nolumus iam argumenta urgere, fortissime contra PATINVN militantia, quae ex infra dicendis huc possent pertrahi. Illud tantum paucis monebimus, virum, qui in aeris vetusti contemplatione bene multum vitae suae tempus contrivit, in eam partem haud concessisse: si, quum ita pronuntiaret, in memoriam rediisset, veteres unum idemque numen, in eadem numismatis area, nunquam bis formasse. Adeo firmiter hoc tenemus, ut haud simus detrectaturi quovis certare pignore, in maxima illa, quae superstes est, numorum copia exstare omnino nullos, in antica, aut postica, binos Ioves, duas Iunones, totidem Mercurios, Bacchos, Hercules et cet. prae se ferentes. Cum itaque, PATINVM a veritate deflexisse, merito existimamus, tum nihilo propius ad eam accessit CLAVD. NICASIVS (h), opinatus, numismatis auctorem Canobo comitem adiunxisse eius uxorem, Eumenitem, ab EPIPHANIO nuncupatam. Tribus verbis, quibus suum de alterius imaginis significatione iudicium ostendit, binos admisit errores; quorum alterum vitasset, si ipsum EPIPHANII inspexisset locum; alterum vero, si, cuius niteretur auctoritate, ponderasset. Non enim *Eumenitem*, sed *Eumenuthidem* appellant illam Canobi

con-

(g) In *Thesauro Mauroceno*, pag. 118.

(h) De *numo pantheo Hadriani, imperatoris*, pag. 27.

coniugem probae notae codices; quod ut fiat manifeftum, fimulque res tota percipiatur, in medium afferenda erunt ipfa EPIPHANII verba (i): Κάνωβος, ὁ Μενελάου κυβερνήτης, καὶ ἡ τούτου γυνὴ, Εὐμενουθὶς, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τεθαμμένοι τιμῶνται πρὸς τῇ ὄχθῃ τῆς θαλάσσης, ἀπὸ δεκαδύο σημείων διεστῶτες· *Canobus, Menelai gubernator, cum fua vxore, Eumenuthide, Alexandriae fepulti, prope littus, duodecimo ab urbe lapide, divino cultu confecrantur.* Quantum pretium, hac in cauffa, conftitui debeat fcriptoris huius teftimonio, fi cum animo fuo confideraffet NICASIVS: aut me fallunt omnia, aut ipfi displicuiffet auctor, cuius fides fublefta tot fignis clariffimis lucet. Primo enim, EPIPHANIO, narranti, Alexandriae fepulcrum fuiffe Canobi, contradicit univerfa Graecorum turba, fuperiori capite a nobis excitata, atque uno ore clamat, popularem fuum in urbe, ipfi cognomine, accepiffe tumulum. Praeterea, tacent Graiorum monumenta ad unum omnia de Eumenuthide, Canobo matrimonio iuncta; quam profecto filentio non preffiffet natio gloriae cupidiffima; fi Graiam quoque in Aegypto adorari, ullo modo adfirmare potuiffet. Libenter itaque affentiar coniicienti, fictam ab EPIPHANIO effe illam Eumenuthidem. Et, quamvis largiremur, huius feminae notitiam praefulem illum haufiffe ex Graecorum annalibus, hodie deperditis: tamen nec hi, ob cauffas, fupra expofitas, ullam mererentur fidem. Denique, quis fidem adiungeret Salaminiorum, in Cypro, facrorum antiftiti, de rebus, ad fuperftitionem pertinentibus, differenti, qui, iudice viro fumme venerabili, IOH. LAVRENT. MOSHEMIO (k), maximis orbis litterati deliciis, *iufto quidem volumine, at, propter fuam levitatem et ignorantiam, variis maculis et erroribus inufto, perfecutus eft Chriftianorum fectas,* quas tantum epifcopum, atque falutiferae religionis noftrae propugnatorem penitius oportebat cognofcere? Profecto, qui in terra patria oberrat turpiter, eum nemo, cui fanum eft finciput, in regionibus peregri-

(i) In *Ancorato, Operum* Tom. II. pag. 109. C. edit. Colonienf.

(k) *Inftitutionum hiftoriae Chriftianae antiquioris*, Saec. IIII. Part. II. cap. 2. pag. 307.

grinis viae eliget ducem. Sicuti igitur NICASII esse sententiae nos poenitet merito: ita etiam, quominus subscribamus PAVLL. PEDRVSIO (l), statuenti, incunculam, de qua hic agimus, esse Canobi, prohibemur partim iis, quae paullo ante contra hanc opinionem monuimus, partim vero signis haud ita obscuris, quae Isidem produnt. Ad hanc enim deam pertinere imaginem, quam in sinistro aversae partis latere constitutam videmus, capitis praecipue ornamenta promtum faciunt propositumque. Primo, cornua, quae in capitis gerit vertice, hanc nostram sententiam tanto magis confirmant, quo est certius, ea soli Isidi fuisse propria. Mihi certe, ingentem illam numinum cohortem, quam superstitiosa Aegyptus cultu religioso est prosecuta, diligenter et cum cura percensenti, praeter Isidem, plane nullum occurrit, cornibus armatum. Immo, ne quidem tribuere potuerunt Aegyptii aliis numinibus istum capitis ornatum: si veritate, quod speramus, erunt fundata, quae haud ita multo post de Iside cornigera huiusque appellationis ratione disputabimus. Porro, Isidem patefaciunt inter cornua positae ac in altum porrectae pennae; quas esse vulturis, existimant antiquarii tantum non omnes. Erat enim istud avium genus huic deae consecratum, eiusque plumis Aegyptii non modo vestibulorum fastigia, sed Isidis quoque caput exornabant. Αἰγύπτιοι, inquit AELIANVS (m), κοσμοῦσι τὴν τῆς Ἴσιδος κεφαλὴν γυπὸς πτεροῖς, καὶ τῶν προπυλαίων ὀρόφοις ὑπερτόρευσαν γυπῶν πτέρυγας. *Aegyptii vulturis pennis caput Isidis exornant, easdemque fastigiis vestibulorum imponunt.* Ad Isidem quoque spectat cornua inter atque pennas collocatus globulus, quippe quem in antiquis huius deae statuis signisque, haud exiguo numero a BERN. DE MONTFAVCON (n) enumeratis, toties eruditi contemplantur. Et, sicuti, dum intentis oculis alteram hanc intuemur icunculam, reliquias observamus capillitii, ex vertice ad humeros defluentis tempori-

Q bus-

(l) I *Cesari in metallo grande, da Giulio Cesare fino a L. Elio, raccolti nel Farnese Museo etc.* Tom. VI. pag. 372.

(m) *De animalium natura*, lib. X. cap. 22.

(n) Vid. *l'antiquité expliquée*, Tom. II. tab. CV. et CX.

busque circumfusi: ita hinc novum opinioni nostrae firmamentum accedit. Aegyptii enim, qui ipsi, per vitam omnem, excepto illo tempore (o), quo vel in luctu erant, vel extra terram patriam peregrinabantur (p), capillos praecidendos committebant tonsoribus, nescio qua permoti ratione, Isidem ut plurimum finxerunt promisso capillo, fabulatique sunt, teste PLVTARCHO (q), hanc deam, propter Osiridis obitum, dissecuisse suorum cincinnulorum unum, quem se possidere, ut LVCIANVS (r) refert, Memphitae gloriabantur. Eo habitu Isidem nobis sistit APVLEIVS (s): *Crines uberrimi prolixique et sensim intorti, per divina colla passim dispersi, molliter defluebant.* Idem capitis tegumentum animadvertimus cum in aliis monumentis, tum in colossea Isidis statua, apud memoratum MONTFAVCONIVM (t), qui illud ita describit: *Ingens illa coma, quae humeros operit, ex palmis et ex Isidis capillis concinnata est, vel forsitan ex plumis, in quatuor ordines concinne digestis.-- Infima comae pars ex cincinnis, undique, longa serie, humeros circumdantibus et calamistratis, apparatur, spatio perquam minimo ad pectus vacuo relicto.* Neque etiam amphora, ex cuius orificio caput prospectat, impedimur, quominus, hanc Isidis esse imaginem, censeamus. Hanc quidem dum pronuntiamus sententiam, nitimur contra antiquariorum ferme omnium placita, quibus veluti sanxerunt, amphorales numinum Aegyptiacorum figuras, quotquot aetatem tulerunt, nihil aliud, nisi Canobum repraesentare. At vero, cur a communi eruditorum doctrina dissentiamus, caussas habere, arbitramur, nos si quid iudicamus recte, non prorsus iniustas. Generatim notari velim Aegyptiorum morem, secundum quem deorum statuas ea fingebant ratione, ut pedibus essent coarctatis.

Tα

(o) Vid. HERODOTVS in *Euterpe*, Cap. XXXVI.

(p) Vid. HADR. IVNII *Commentarius de coma*, Cap. III. p. m. 346.

(q) *De Iside et Osiride*, pag. 356. D.

(r) *Ad indoctum et multos libros ementem*, Tom. II. Opp. pag. 386.

(s) *Metamorphos.* lib. XI. p. m. 636.

(t) *Supplement au livre de l'antiquité expliquée*, Tom. II. pag. 132.

Τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν, inquit elegantissimus HELIODORVS (u), Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγνύντες καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσιν. *Statuas deorum Aegyptii ponunt, coniungentes illis pedes et veluti unientes.* Quibus ex verbis illud liquido apparet, consentaneum fuisse Aegyptiacis institutis, non solum Canobum, sed alia quoque numina, pedibus ita coniunctis pingere, ut eorum capita ollis viderentur imposita. Et, si populi huius idola, quae passim beatiorum ornant cimeliarchia, vel fugitivo oculo, perlustramus: hydrias observabimus complures, quarum orificia capitibus contecta sunt caninis. Est huius generis, quam ex VIVANTII gaza produxit toties iam laudatus, nunquam vero satis laudandus MONTFAVCONIVS (x), qui orbis eruditi Nestor, vulgarem secutus opinionem, eam quidem inter Canobi simulacra recensuit, sed sine explicatione dimisit, hoc ipso, nisi fallimur, ostensurus, se de illa omnino nihil habere, quod liqueat. Quemadmodum autem haud dubito, quin rem tetigero acu, si, illud monumentum Anubidem repraesentare, dicam: ita quoque arbitror, amphorales deos accurate prius esse examinandos, quam de illorum significatione respondeatur, veritatisque amantem oportere, ex ornamentis, quibus sunt conspicui, singulos spectare. Quae quum ita se habeant: tanto lubentius alteram urnularum, in numismate nostro signatarum, de Iside explicavimus, quo plura numinis huius insignia in ea deprehendimus, quoque aptius, ex Aegyptiorum disciplina Isidis caput hydriae adiungi potuit. Situlam enim hieroglyphice Nilum designare, iam supra fecimus planum: eundem vero fluvium, sub Osiridis imagine adoratum, in matrimonio habuisse Isidem, sororem suam, ea evincent, quae infra, ad veterum fidem, commentabimur. Nihil igitur absurdi nihilque absoni finxerunt Aegyptii, quum marito ita iungerent tori sociam, ut ambo unum efficerent corpus. Quid? quod supersunt, ex antiquissimo aevo, monumenta, in quibus urnulae figura Isidem adumbrari, agnoverunt viri in antiquitatibus exercitatissimi, BERN. MONTFAV-

(u) *Aethiopicorum* lib. III. cap. 8. pag. 153. edit. Lugdunens.

(x) Loco, modo citato, tabula post quinquagesimam inserta.

CONIVS (y), LAVRENT. BEGERVS (z) et IOH. OLIVA (a). Hactenus quidem in istiusmodi argumenti explicatione sumus versati, quod, licet tantis implicatum viderimus difficultatibus, ut viri etiam vetustatis optime periti in eo interpretando titubaverint, aliquo tamen modo potuimus expedire. Nunc vero indagaturi, quam habuerint caussam Canobi incolae, numismatis nostri auctores, quare patrio suo numini comitem dederint Isidis simulacrum, in principio statim intelligimus, rem hanc obscuram admodum esse crassisque occultatam tenebris. Ob hieroglyphicam enim docendi scribendique methodum, ab Aegyptiis antiquis nunquam non adhibitam, res eorum in universum ab intelligentia sensuque recentiorum sunt remotae. Inprimis autem sacrae artis apud hunc populum antistites de numinum suorum natura doctrinam sollicite contexerunt. Nemo igitur vitio nobis vertere poterit, si publice et ingenue fatemur, nobis hac in caussa haerere aquam. Interim tamen, quum fortuna adiuvare non rarenter soleat audaces: periculum facere lubet, num densissimam caliginem, quam huic quaestioni videmus obductam, dispellere valeamus; iustis sapientibusque arbitris diiudicandum relicturi, male, an bene coniecerimus. Postquam igitur multum temporis in attentissima cogitatione superstitionis, qua priscos novimus fuisse obligatos, posuimus; inprimis autem Aegyptiorum de religione dogmata, quotquot eorum nobis innotuerunt, ex omni parte et accurate quidem pertentavimus: in eam discessimus sententiam, nos a veritate fortassis haud esse aberraturos, si statueremus, Canobicos cives numini suo tutelari ac urbis suae symbolo propterea adiunxisse Isidem, ut esset indicio, numisma hocce plumbeum Canobitarum Aegyptiacorum, non vero Africanorum, auctoritate et iussu esse cusum. Quae nostra coniectura ut probabilitate haud omni destituta ne existimetur, demonstrare nos oportebit, primo, priscos homines, a veri numinis cultu alienos, non solum civitates, quod capi-

---

(y) Loco citato, pag. 53.

(z) *Thesauri Brandenburgici* Tom. III. pag. 302. sqq.

(a) *Exercitationum in marmor Isiacum, Romae effossum*, cap. VIII. pag. 60.

pite proxime antecedente evicimus, ſed gentes etiam regionesque integras, imaginibus repraeſentaſſe ſymbolicis atque auguſte eſſe veneratos; ſecundo, cunctas ferme de Iſide fabulas commode explicari poſſe de Aegypto huiusque incolarum natura, moribus atque inſtitutis, ac proinde iſtius deae ſtatuam nihil aliud, quam Aegyptum adumbrare; tertio, in Africa olim exſtitiſſe urbes, Canobo, Aegypti oppido, cognomines; et quarto denique, ſolitos fuiſſe veteres, in numis ſuis, urbium, in quibus hi ſignati, ſitum nonnunquam indicare, easdemque ab aliis homonymis civitatibus, nunc expreſſis verbis, nunc vero additis ſignis, diſtinguere. Quod primum mihi agendum video, ut oſtendam, integras nationes olim in deorum concilio fuiſſe repoſitas, illud in dubium vocare nequaquam poterunt, qui, ſicuti in orbe antiquo haud verſantur hoſpites, ita complura huius moris exempla in monumentis lapideis chartaceisque obſervarunt. Hi enim, Hiſtriae, quondam Illyrici, deinceps vero Italiae regioni, templum fuiſſe conſtitutum, teſtem habebunt lapidem, ab IREN. DELLA CROCE (b) exſcriptum:

HISTRIAE FANVM
ABC. VIBIO VARO PATRE INCHOATVM
Q. CAESIVS MACRINVS PERFECIT ET DEDICAVIT.

Et; Athenis ad Iovis ſimulacra, in Piraei porticu, nec non in quingentorum curia erecta, *ξοάνον τοῦ δήμου*, *populi* Attici *ſignum*, fuiſſe appoſita, illos docuit PAVSANIAS (c), apud quem, Lacedaemone etiam *δήμου τοῦ Σπαρτιατῶν ἀνδριάντα, μεγέθει μέγαν*, *Spartanorum populi ſtatuam, ingenti magnitudine*, eſſe viſam, memoriae proditum invenerunt (d). Vtrumque PAVSANIAE locum, ne quid diſſimulem, fateor, me acceptum referre τῷ νῦν ἐν ἁγίοις IOH. GOTHOFR. LAKEMACHERO (e), praeceptori quondam meo, poſt fata etiam ſummopere venerando, quem vero optarem,

 illius

(b) In *Hiſtoria antica e moderna, ſacra e profana della citta di Trieſte*, lib. III. cap. 5. pag. 225.

(c) In *Atticis* Cap. I. pag. 4. et Cap. III. pag. 10.

(d) In *Laconicis*, Cap. XI. pag. 234.

(e) *Antiquitatum gentis Graecae ſacrarum* Part. I. cap. 4. pag. 111. in notis.

illius, de qua nobis hic sermo est, superstionis amplius confirmandae caussa, non provocasset ad *Nationem*, deam, a CICERONE commemoratam. Arbitratus enim, sub huius imagine quendam orbis antiqui populum superstitiosos adorasse, gravem admisit errorem. Vt enim taceam, quod IOH. D'AVISIVS (f) observat, in probae notae codicibus pro *Natio*, non temere scribi *Nascio*: ipse CICERO disertis verbis indicat, puerperarum illud fuisse numen. *Natio quoque*, inquit (g), *dea putanda est: cui, quum fana circumimus in agro Ardeati, rem divinam facere solemus: quae, quia partus matronarum tueatur, a nascentibus Natio nominata est.* Verum, accedamus ad secundam huius dissertationis partem, qua demonstraturos nos esse sumus polliciti, Isidem symbolum fuisse totius Aegypti, idque manifesto inde patere, quoniam in huius deae simulacro omnibusque de ea dogmatibus nihil ferme deprehendatur, quin aptissime exponi queat de memoratae regionis natura atque incolarum moribus. Gloriatos quidem novimus vanae religionis antistites, se sacra Isiaca tenebris occultasse adeo crassis, ut, significaturi, illis discutiendis neminem mortalium esse parem, in huius deae delubro, quod Sai habebat, lapidem dedicaverint, teste PLVTARCHO (h), sequenti notatam inscriptione: Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον· καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψε. *Ego sum omne, quod exstitit, est, et erit: meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit.* Abest vero tantum, ut deterreamur hac iactantia a studio in mysteria Isiaca penetrandi, ut potius etiam exigua illa, quam adepti sumus, rerum Aegyptiacarum notitia spem nobis faciat, fore, ut, licet non sine multo sudore, feliciter tamen, quod praefiscini dixerimus, larva Isidi detracta, contemplandam exhibeamus nativam Aegypti faciem. Prae ceteris erit observandum, veteres theologos inter Isidem atque tellurem, nullum prorsus statuisse discrimen, sed hanc sub illius nomine atque imagine esse veneratos. Habemus huius dogmatis testes bene multos;

MACRO-

(f) In *Notis ad Ciceronis* locum, mox citandum.

(g) *De natura deorum*, lib. III. cap. 18.

(h) *De Iside & Osiride*, pag. 354. C.

MACROBIVM (i) nempe: *Nec in occulto est, neque aliud esse Osirim, quam solem, nec Isim aliud esse, quam terram.* Nec non IVL. FIRMICVM (k): *Defensores eorum volunt addere physicam rationem: frugum semina Osirim dicentes esse, Isim terram, Typhonem calorem.* Et, qui primo loco erat producendus, PLVTARCHVM (l), diserte scribentem, τῶν ὀνομάτων, τῇ μὲν Ἴσιδι τὸ τῆς γῆς, τῷ δὲ Ὀσίριδι τὸ τοῦ ἔρωτος, τῷ δὲ Τυφῶνι τὸ τοῦ ταρτάρου, *Isidis nomine terram, Osiridis amorem, Typhonis tartarum* designasse veteres. Immo, veteri Aegyptiorum lingua, deae huius appellatio *terram* denotavit; sicuti SERVIVS (m) et ex eo ISIDORVS (n) tradiderunt. Atque hinc petenda est ratio, cur Isidem subinde turritam videamus in monumentis antiquis. Quemadmodum enim apud Graecos Cybele, quae pro terra, turritas sustinente urbes, habebatur, turritam in capite gestabat coronam: sic quoque Isidi, suo terrae genio, idem ornamentum attribuerunt Aegyptii (o). Eadem opinione adduci quoque se passi sunt superstitiosi, ut Isidis capiti cornua affingerent; quo habitu repraesentata fuit non solum in Aegypto, sed, teste PHILOSTRATO (p), etiam apud Assyrios aliosque populos passim. Quoniam enim *Aegyptii*, MACROBII (q) utor verbis, *hieroglyphicis litteris terram quum significare vellent, ponebant bovis figuram:* non potuerant non huius animalis cornibus armare deam telluris. Falli igitur arbitramur, qui, cum IOH. OLIVA (r) aliisque, credunt, Isidem et Lunam deas esse haud diversas, atque contendunt, propterea illam pinxisse veteres cornutam, ut lunae corniculantis exhiberet speciem. Similiter erroris postulandi erunt Graeci, a GERH. IOH. VOSSIO (s) laudati, qui,

(i) *Saturnaliorum* lib. I. cap. 21. pag. 275. edit. Gryphian.

(k) *De errore profanae religionis*, pag. 4. edit. Lugd. Bat. 1652.

(l) Loco citato, pag. 374. C.

(m) Ad *Aeneid.* lib. VIII. v. 696.

(n) *Originum* lib. VIII. cap. 11.

(o) Vid. BERN. DE MONTFAVCON *supplement au livre de l'antiquité expliquée*, Tom. II. pag. 132.

(p) *De vita Apollonii Tyanensis*, lib. I. cap. 19. pag. 23. edit. Olearii.

(q) Loco citato, Cap. XVIIII. pag. 269.

(r) Loco citato, Cap. VIIII. pag. 68.

(s) *De origine et progressu idololatriae*, lib. II. cap. 56. pag. 309.

qui, quod audierant, Isidem terram denotare, memores, Cererem quoque, ex sacrificulorum suorum placitis, esse terram frugiferam, satis confidenter adfirmarunt, has deas unum esse idemque numen, variis tantum nominibus, a diversis populis, appellatum. Sicuti enim opera non ita difficili demonstraremus, Cererem, in Graecorum Romanorumque theologia, non tellurem universam, sed solos Siciliae agros fertiles significasse; eam disputationem si caperet loci temporisque, qua premimur, angustia: sic etiam varia in promtu sunt, quae, ut Isidem eius tantum terrae, quam Nilus fecundat, Aegypti nempe, existimemus symbolum, suadent, immo cogunt. Isidem, sermone Aegyptiaco, denotasse *terram*, ex MACROBIO plane paullo ante audivimus. Quum vero prisci homines *terram* nominarent: saepe numero, non intelligebant universum, quem incolimus, terrarum orbem; sed, vel vanitate adducti, vel propter exiguam geographiae notitiam, eo vocabulo designare volebant globi nostri terrestris partem exiguam, eam inprimis, quae ipsos genuerat atque aluerat. Sic, in ipsis sacris paginis, ארץ, הארץ, quam frequentissime de sola Palaestina adhibetur. Eadem ratione Graeci γῆς, γαίας, γαίης vocabulis saepissime indicarunt patriam suam, immo nonnunquam huius regiones admodum exiguas; sicuti testimoniis, magno numero recensitis, planum fecit ὁ πάνυ IOH. GOTHOFR. LAKEMACHERVS (t), cuius compilare scrinia licet merito supersedeamus, non possumus tamen, quin unicum, a viro litteratissimo observatum, THEOCRITI apponamus versiculum, et propterea quidem, quoniam in eo ipsa Aegyptus simpliciter γῆ vocatur (u):

Ταῦθ' ὁ πάραρος τῆνος ἐπ' ἔσχατα γῆς ἔλαβ' ἐνθών.

Haec demens ille, (maritus meus) *extrema terrae veniens occupavit*. Nam ἔσχατα γῆς bucolico sunt agri, in occidentali Aegypti limite positi atque ad huius regionis metropolim, Alexandriam, pertinentes. Scriptores quoque sacri suo הארץ strictiorem illum significatum nonnun-

(t) *Observationum philologicarum* Part. II. pag. 68. sqq. et Part. VIII. pag. 229. sq.

(u) *Idyllii* XV. v. 8.

nunquam ſubiecerunt, ut de ſola exponi debeat Aegypto. Sic, quum novus ille hac in regione exortus princeps, qui Ioſephi non noverat merita, ſubditis civibus ſuis perſuaſurus, ut Iſraëlitas opprimerent, apud MOSEN (x), dicit: ונלחם בנו ועלה מן הארץ; liquet, hunc eſſe ſenſum: *Ne armis aliquando exitum ex Aegypto ſibi aperirent Hebraei.* Eundem loquendi morem lingua Aegyptiorum vernacula fuiſſe uſurpatum, propenſe, ſperamus, credent, quotquot ſciunt, diſertis verbis affirmare PLVTARCHVM, Iſidem non niſi eam ſignificare terram, quam aqua Nilotica reddit fertilem. Ita enim ille ſcribit (y): Ὡς Νεῖλον Ὀσίριδος ἀποῤῥοὴν, οὕτως Ἴσιδος σῶμα γῆν ἔχουσι καὶ νομίζουσιν, ού πᾶσαν, ἀλλ' ἧς ὁ Νεῖλος ἐπιβαίνει σπερμαίνων καὶ μιγνύμενος. *Sicut Nilum Oſiridis defluxum, ita corpus Iſidis terram putant, non quidem univerſam, ſed quam Nilus invadens ac coiens fetam reddit.* Idem liquidiſſime confirmat EVSEBIVS (z): Ἡ ἐν τοῖς μύθοις μισγομένη τῷ Ὀσίριδι Ἶσις, ἡ Ἀιγυπτία ἐστὶ γῆ. *Iſis illa, cuius cum Oſiride congreſſionem fabulae celebrant, terra eſt Aegyptia.* Quemadmodum autem manifeſto nunc comperimus et manu veluti tenemus, Iſidis appellatione terram ſuam patriam indicaſſe Aegyptios veteres: ſic, univerſa ferme de hoc numine dogmata omniaque, quibus ipſius ſimulacrum eſſe ſolet condecoratum, ornamenta nihil eſſe aliud, quam deſcriptionem Aegypti eiusque incolarum, deprehendemus; ſi in ſingula paullo acrius intenderimus animum. Praeterit neminem, et ne eos quidem, qui aliquam tantum ſibi compararunt geographiae notitiam, Nilum ea eſſe praeditum indole, ut, inde a ſolſtitio aeſtivo ad aequinoctium usque autumnale, ſenſim quidem pedetentimque, ſed denique in tantum augeatur, ut aquam capere nequeat alveus ipſius capaciſſimus. Tunc enim fluvius ille, ſuper ripas effuſus, ὀυ μόνον τὸ Δέλτα, verba ſunt HERODOTI (a), ἀλλὰ καὶ τοῦ Λιβυκοῦ τε λεγομένου χωρίου ἔιναι, καὶ τοῦ Ἀραβίου ἐνιαχῆ. καὶ ἐπὶ δύο ἡμερέων ἑκατέρωθι ὁδὸν, καὶ πλεῦν ἔτι τούτου, καὶ ἔλασσον, non

(x) *Exod.* I. 10.

(y) Loco citato, pag. 366. A.

(z) *Praeparationis evangelicae* lib. III. cap. II. pag. 116. B. edit. Pariſ.

(a) In *Euterpe*, Cap. XVIIII.

non modo Delta inundat, verum etiam plagam, quae dicitur Libyca esse, aliquoties et Arabicam; idque utroque versus duorum dierum itinere, et amplius eo, vel minus. Quibuscum consentit castissimus amorum scriptor, HELIODORVS (b), qui, ὀργᾶται, inquit, ὁ Νεῖλος, καὶ ποταμὸς εἶναι οὐκ ἀνέχεται, ἀλλὰ κατεξανίσταται τῆς ὄχθης, καὶ θαλασσώσας τὴν Ἄιγυπτον, τῇ παρόδῳ γεωργεῖ τὰς ἀρούρας. *Superbit Nilus, nec se fluvium esse patitur, sed effunditur extra ripas, et, eluvione, tanquam mari quodam, Aegyptum operiens, adventu suo fecundat agros.* Nec, ulla re, ab hisce veterum scriptorum relationibus differunt, quae recentioris aetatis peregrinatores, NIC. MELCHIS. THEVENOTIVS (c), PAVLL. LVCAS (d) et BENED. DE MAILLET (e), de Aegypti constitutione, quum eam Nilus aqua inundavit, in litteras retulerunt. Hanc ob caussam fluvius ille admodum frequenter ab auctoribus cum sacris, tum profanis, *maris*, et merito quidem, appellatione designatur. De Leviathane, qui, sive ita nominari putes Crocodilum, sive eum esse credas Hippopotamum, fluminis memorati erit incola, apud IOBVM (f) praedicatur: ירתיח כסיר מצולה ים ישים כמרקחה *Fervefacit sicut ollam profundum: mare ponit ut coctionem unguentariam.* Idem amphibium ESAIAE, vati, venit nomine (g) התנין אשר בים, *serpentis, qui est in mari.* SENECA (h): *Initio diducitur Nilus, deinde continuatis aquis in faciem lati ac turbidi maris stagnat.* Et paucis interiectis: *Sic quoque, quum se ripis continet Nilus, per septena ostia in mare emittitur: quodcunque elegeris ex his, mare est.* Addo DIODORVM, Siculum (i), qui et affirmat, τοὺς Ἀιγυπτίους κατὰ τὴν ἰδίαν διάλεκτον ὠκεανὸν λέγειν τὸν Νεῖλον,

lingua

(b) *Aethiopicorum* lib. II. cap. 6. pag. 113.

(c) *Itinerarii per Europam, Asiam et Africam* Part. I. lib. II. cap. 72. pag. 341.

(d) *Itinerarii orientalis* lib. IIII. pag. 236.

(e) *Description de l'Egypte*, pag. 70.

(f) Cap. XXXXI, 23. ad quem locum vide sis, quae observat, in *commentariis* suis, longe eruditissimus ALB. SCHVLTENS.

(g) Cap. XXVII, 1. Conf. CAMPEG. VITRINGA *comment. in Esaiam*, Tom. I pag. 558. a. edit. Basil. qui plura s. codicis loca, huc spectantia, scire cupienti indicabit.

(h) *Quaestionum naturalium* lib. IIII. cap. 2. pag. 748.

(i) *Bibliothecae historicae* lib. I. pag. 86.

lingua vernacula Nilum Aegyptiis vocari oceanum, et contendit, eodem nomine hunc fluvium indicari in hoc HOMERI versiculo (k):

Πὰρ δ' ἴσαν Ὠκεανοῦ τε ῥοὰς καὶ Λευκάδα πέτρην.

Praeteribant autem Oceani fluxus et Albam petram.

Quoniam itaque in Aegyptum, quum eam Nilus undis suis operuit, aptissime quadrant, quae OVIDIVS de diluvio Deucalioneo cecinit (l):

Iamque mare et tellus nullum discrimen habebant.
Omnia pontus erant; deerant quoque littora ponto.
Occupat hic collem: cymba sedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat:

hac similitudine, quam cum pelago patriae suae tunc esse observabant Aegyptii, adducti sunt, ut Isidem cognominarent *Pelagiam.* Adscriptum videmus ipsi hunc titulum in ara marmorea, quam IAN. GRVTERVS (m), sed vitiis nonnullis inquinatam, edidit:


DIIS MANIBVS. SAC
SER. SVLPICIO AVG L
ALCIMO AEDITVO
AB ISEM PELAGIAM
VIX AN XXXVII AEDITV
AVIT. AN X FECIT VXOR
VENERIA APHRODISIA
VIR BENE MERENT MVL
INFELICISSVMA. ET. SIBI. ET. SVIS
L. L. P. EORVM

Sub eodem cognomento Corinthii etiam huic deae delubrum consecrarunt, quod in Acrocorinthum ascendentes habuisse obvium, apud PAVSANIAM (n) legimus. Ad eandem Nili exundationem respexisse quoque,

 non

(k) *Odyss.* XXIIII. 11.
(l) *Metamorphos.* lib. I. v. 291. sqq.
(m) Pag. CCCXII. num. 5.
(n) In *Corinthiacis*, Cap. IIII. pag. 121.

non fine quadam verifimilitudine, exiftimamus, qui primi Ifidis fimulacrum ad amphorae conformarunt fpeciem; qua nempe hieroglyphice oftendere voluerunt, Nilum, quem fitulae adumbratum effe figura, audivimus, Ifidem, five terram Aegyptiam, fingulis annis, ita contegere, ut nihil nifi oppida, regionis veluti capita, fint confpicienda. *Illa facies pulcherrima eft*, inquit SENECA (o), *quum iam fe in agros Nilus ingeffit. Latent campi, opertaeque funt valles: oppida infularum modo exftant. Nullum in mediterraneis, nifi per navigia, commercium eft.* Eodem propemodum habitu, quo illuftriffimum illud veteris philofophiae decus, Nilum, Aegypti campos, aqua opplentem obruentemque, verbis defcripfit, ftylo quoque eum pingere voluiffe autumo artificem vetuftum, in Iafpide fequenti.



Equidem in alia omnia abire novi LAVRENT. BEGERVM, gemmae huius, opulentiffimum Potentiffimi Boruforum Regis cimeliarchium ornantis, editorem (p); quippe qui, in ea, non flumen quoddam, fed cunctorum fluviorum parentem, Oceanum, exhiberi, iudicat; ita vero, ut hanc fuam fententiam argumentis confirmet, nec conquifitis, nec ad probandum adeo aptis, immo adverfus ipfum haud leviter pugnantibus. Sunt contra et multa, et, nifi nos fallunt omnia, certiffima indicia, quae, toreumatis huius auctori confilium fuiffe fluvii alicuius

(o) Loco, modo citato.

(p) *Thefauri Brandenburgici* Tom. I. pag. 74. fq. Adde eiusdem BEGERI *obfervationes ad Flori lib. II. priores*, pag. 122

cuius depingendi effigiem, reddunt manifeſtum. Ex horum genere eſt urna, copioſe aquam vomens, cui figura, barbata et decumbens, ſiniſtra innititur; quandoquidem haec perpetuum ferme fluviorum, in antiquis monumentis, eſt geſtamen. Quamvis enim veteres non uno ſemper habitu, ſed modo ſenis, modo mulieris, immo etiam formoſi pueri forma deſcripſerunt fluvios; eosdemque nunc cornutos, nunc vero corona redimitos arundinea repraeſentarunt (q): rariſſime tamen illis urnulas addere omiſerunt; ſic, ut in numiſmatibus, fluminum praeterentibus imagines, quorum non paucos collegit IOH. VAILLANTIVS (r), vix unum reperiamus alterumve, in quo illud ornamentum deſideratur. Oceanus contra nusquam urna comparet inſtructus, ſed ſiniſtra ſua incumbere ſolet monſtro marino; quemadmodum videmus in eius ſimulacro, Romae, ad Campiliani arcum, reperto, quod ipſe laudat BEGERVS. Provocat quidem vir doctiſſimus ad PAVSANIAM, teſtantem (s), Nemeſis Rhamnuſiae ſtatuam dextra phialam tenuiſſe, in qua Aethiopes caelati, ad ſignificandum Oceanum, quem gens iſta accolat; atque ita liquere arbitratur, inter Oceani quoque inſignia antiquos urnam recenſuiſſe. Verum, hinc noſtra potius quam Begeriana cimelii huius explicatio firmamentum accipit. Nam, diligentem illum Graeciae vetuſtae geographum haudquaquam intelligere Oceanum, quem ORPHEVS (t) vocat,

Πατέρ' ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα,
Ἀθανάτων τε θεῶν γένεσιν θνητῶν τ' ἀνθρώπων,
Ὃς περικυμαίνει γαίης περιτέρμονα κύκλον.

Patrem incorruptum, ſemper exiſtentem,
Immortaliumque deorum genus, mortaliumque hominum,
Qui circumfluit terrae circa extremitates circulum;

 ſed

(q) Vid. EZECHIEL. SPANHEMII *ad Andr. Morellium epiſt. II. de numis quibusdam rarioribus theſauri quondam Schwartzburgici, hodie Fridericiani*, §. 12.

(r) Vide eius *Numiſmata Impp. a populis, Graece loquentibus, percuſſa*, pag. 342. ſq.

(s) In *Atticis*, Cap. XXXIII. pag. 81.

(t) In *Hymnis*, pag. 178. edit. Eſchenbach.

sed Oceanum, Aethiopiae fluvium, ipse expressis indicat verbis. Ac sane, quae, apud scriptores antiquos, de illo Aethiopum flumine legimus relata, ita sunt comparata, ut commode queant explicari de Nilo, qui, perinde, ac Oceanus, apud HOMERVM (u), a recentioribus Habessinis, Amharice, *Abawi*, id est *omnium fluminum parens* dictus existimatusque (x), uti cursus longinquitate et aquarum summa abundantia reliquis orbis fluviis propemodum cunctis antecellit, sic utique est dignus, qui cum magno conferatur mari. Cum itaque urna pro nostra opinione fortiter propugnat, tum eidem novum adiungit robur bacillum, quod figura decumbens dextra praefert; loco cuius temonem tenere solet Oceanus. Eo enim adumbrare voluisse videtur artifex arundinem, qua et Nilum, et cetera flumina toties, in aere antiquo, exornata contemplamur. Nec quicquam iuvat eruditissimum caelaturae huius enarratorem aquarum planities, totam gemmae adimplens aream. *Danubius*, ait, *et Rhenus*, *aliique quicunque fluminum*, *exiguo plerumque alveo*, *magnitudinis suae modulum indicant*. Aut fallor, aut haec in litteras non retulisset vir in omni scientiarum genere versatissimus: si memor fuisset Nili, quem, singulis annis, certa tempestate, universam contegere Aegyptum eandemque Oceano reddere similem, non potuit ignorare. Similiter navibus quoque, iam in altum provectis, haud impedimur, quominus Nilum potius, quam Oceanum, hac in gemma arbitremur caelatum. Nullum enim, nisi per navigia, esse commercium in Aegypto, quum memoratus fluvius, super ripas effusus, hanc regionem inundavit, peregrinatores antiqui pariter ac recentiores uno ore referunt, et res ipsa loquitur. Eandem Aegypti, exundationis tempore, constitutionem dum mecum reputo, in eam adducor opinionem, huius provinciae incolas primos fortassis rei nauticae exstitisse inventores. Profecto enim, quemadmodum nationem illam, sollertem atque laboriosam, necessitate coactam, geometriam invenisse, universa affir-

(u) *Iliad.* lib. XXI. v. 195.

(x) Vide IOBI LVDOLFI *historiam Aethiopicam*, lib. I. cap. 8.

affirmat antiquitas (y); ut scilicet possessionum terminos, undis Niloticis confusos, restaurare posset: sic etiam, quia Aegyptii navigiis ad tantam aquarum copiam superandam diu carere nequiverunt, eos artem quoque excogitasse navigandi, eandemque, successu temporis, excoluisse, licebit suspicari; quamquam haud meminerimus, nos, in orbis antiqui monumentis, quicquam hac de re legisse memoriae proditum. Quod si autem hac coniectura assecuti sumus veritatem: non erit, cur amplius circumspiciamus caussam, quare vanae religionis sectatores Isidi pro symbolo dederint navigium. Apparet enim, eo fuisse insignitam, ut et gloria inventionis, debita Aegyptiis, et populi eiusdem in re navali exercitatio celebraretur. Comparet illud Isidis navigium, quod, solemniori et hodieque apud Coptitas usitato vocabulo (z), sicuti, praeter HERODOTVM (a), DIODORVS etiam, Siculus (b), observat, Aegyptiace dicebatur *Baris*, in Domitiani Imp. denario, variis et huic deae propriis ornamentis conspicuo, atque ab VLRIC. OBRECHTO, peculiari dissertatione (c) epistolari, illustrato. Et, in pompa Isiaca, a sacerdote portatum perhibet APVLEIVS (d), *aureum cymbium, in medio sui patore flammulam suscitans largiorem.* In Romanorum quoque *fastis*, sicuti LACTANTIVS (e) memorat, *certus dies habebatur, quo Isidis celebrabatur navigium.* Quid? quod priscae Germaniae habitatorum quidam, Suevi nempe, Isidis *signum, in modum liburnae figuratum,* adorarunt; nisi TACITVS (f), quem sequimur auctorem, et, qui, nostra opinione, dum maiorum nostrorum describere videri vult instituta, populares suos urbisque vitia, sed tecte, reprehendit, sub Suevorum nomine, Ro-

(y) Loca scriptorum indicat THEOD. IANS. AB ALMELOVEEN, in *onomastico rerum inventarum*, pag. 30.

(z) Vide ATHANAS. KIRCHERI *linguam Aegyptiacam restitutam*, pag. 133.

(a) In *Euterpe*, Cap. XCVI.

(b) *Bibliothecae historicae* lib. I. pag. 87.

(c) Exstat inter eius *Academica, in unum volumen collecta*, pag. 459. sqq.

(d) *Metamorphos.* lib. XI. pag. 681.

(e) *Divinarum institutionum* lib. I. Cap. II. §. 21.

(f) De *moribus Germanorum*, Cap. VIIII.

Romanos, ob peregrina Isidis sacra, toties ex urbe eiecta, semper vero recepta, perstringit. Praeterea, ut illi, qui navium regendarum peritiam longo usu sibi acquisiverunt, facilius naufragii evitant periculum, quam artis huius ignari, aut tirones: sic, non sine fundamento, suspicamur, a vetustae superstitionis conditoribus propterea Isidem esse annumeratam diis, quos navigantibus auxilium credebant ferre, ut indicaretur, Aegyptios, illius idoli imagine adumbratos, navium esse magistros et experientissimos, et plane excellentes. Cooptat Isidem in deorum marinorum ordinem Iupiter, apud LVCIANVM (g): Τοὺς ἀνέμους ἐπιπεμπέτω, καὶ σωζέτω τοὺς πλέοντας. *Ventos immittat, et navigantes servet.* Atque, ob hanc commissam ipsi navium tutelam, templa ipsius votivis pictisque tabellis, quas fieri et suspendi curaverant, qui maris praesenti periculo fuerant liberati, erant refertissima. Alludit ad hanc consuetudinem IVVENALIS (h), dum canit:

Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima: pictores quis nescit ab Iside pasci?

Faciunt ad navigationis velocitatem plurimum, immo nonnunquam naves earumque vectores conservant vela firma, nec facile ventis pervia; quae adeo Aegyptii, diuturna edocti experientia, tanta arte contexere didicerant, ut facta ab illis vela ceterarum orbis antiqui gentium velis palmam dubiam redderent, quid? eriperent. Docuit me hoc HERMIPPVS, qui, dum, apud ATHENAEVM (i), enumerat, quae in singulis regionibus rara et propria olim fuerunt, venire dicit

- - - Ἐκ δ' Αἰγύπτου τὰ κρεμαστά.
- - - *Ex Aegypto pendentia vela.*

Hinc procul dubio est, quod veteres velificiorum honorem ad Isidem detulerunt. *Velificia*, inquit HYGINVS (k), *primum invenit Isis. Nam, dum quaerit Harpocratem, filium suum, rate velificavit.* Et CASSIODO-

(g) In *Dialogis deorum*, Tom. I. Opp. pag. 188.

(h) *Satyra* XII. v. 27. sq.

(i) *Deipnosophist.* lib. I. pag. 27. F.

(k) *Fabula* CCLXXVII. pag. 336. sq. edit. Muncker.

ODORVS (l): *Hoc velum Isis rati prima suspendit, quum per maria Harpocran, filium suum, audaci femina pietate perquireret.* Eandem quoque ob caussam velum pandentem hanc deam finxisse credimus monetarios, in numis sequentibus, quorum alterum IOH. TRISTANO (m), alterum vero CAROL CAESAR. BAVDELOTIO (n) referimus acceptum.



Asservant, Parisiis, inter cimelia sua, Augustiniani discalceati totius religionis Aegyptiacae imaginem, in operculo Mumiae, coloribus adeo egregiis depictam, ut, quamvis a bene multis retro saeculis facta fuerit, tamen nihil omnino de integritate splendoreque suo amiserit. Hac in tabula, praeter cetera Aegyptiorum numina, etiam conspicitur Isis, *sub cuius brachiis extensis*, verba recitamus magni MONTFAVCONII (o),

S qui

(l) *Variar.* lib. V. cap. 17.
(m) *Commentaires historiques, contenans l' histoire generale des Empereurs* &c. Tom. I. pag. 342.
(n) *Histoire de Ptolemée Auletes. Dissertation sur une pierre gravée antique du Cabinet de Madame*, pag. XXXVIIII.
(o) *Supplement au livre de l' antiquité expliquée*, Tom. II. pag. 137. sq.

qui primus eximium hocce monumentum cum orbe communicavit erudito, *alae sunt grandes, quae ex utraque parte ad extremam tabulam pertingunt. Statim autem conspiciuntur quatuor ordines plumarum illarum tenuium molliorumque, quae in extremis avium alis observantur. Primae caeruleae sunt, secundae rubrae, tertiae caeruleae, quartae nigricantes. Deinde sequuntur tres magni pennarum ordines. Primi ordinis pennae nigricantes sunt, in flavo fundo; secundi rubrae, in fundo caeruleo; tertii caeruleae, in fundo albo.* Haec quidem omnia vir, in extrema etiam senectute ingenio abundans, et, quo novimus neminem, qui rerum antiquarum sit callidior, mysteria reputat inexplicabilia. Quid vero? si arbitremur, non solis Aegyptiorum sacerdotibus licuisse res illas arcanas intelligere et explicare, sed hodiernis quoque eruditis aditum ad sacra haec operta haud esse praeclusum? Certe, qui dixerit, Isidi magnas et variis coloribus distinctas alas propterea adaptasse superstitiosos, ut significarent Aegyptiorum, huius deae simulacro adumbratorum, in velis faciendis dexteritatem, in navigando velocitatem atque in depingendis velis sollertiam, ei haudquaquam refragabimur; quandoquidem perspicimus, hanc coniecturam omnino nihil continere, quod institutis opinionibusque veterum adversetur. Capite enim superiori, compluribus testimoniis fecimus planum, vela alarum schemate priscos designasse. Ostendimus ibidem, membra, quibus volucres in aëre veluti remigant, summae celeritatis olim fuisse symbola. Vela etiam antiquos, perinde, ac hodie fit, variis modis tinxisse, illis tantum dubium videbitur, qui in prisco orbe versantur hospites. Flammei enim coloris memorat LVCIANVS (p). Alcibiadem et Cleopatram purpureis velis esse profectos, referunt ATHENAEVS (q) et PLINIVS (r), quorum hic versicolorium insuper facit mentionem. Nam de Alexandri M. ducibus scribit (s): *Quum in certamine quodam variassent insignia navium: stupuerunt littora, flatu versicoloria implente.* Tales quoque habuit Caligula

(p) In *Navigio, seu votis*, Opp. Tom. II. pag. 494.

(q) *Deipnosophist.* lib. XII. pag. 535. D.

(r) *Historiae naturalis* lib. XVIIII. cap. 1.

(s) Ibidem.

ligula, quippe qui, ut refert SVETONIVS (t), *fabricavit et deceres Liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis.* Verum, esto penes peritiores iudicium, num ita coniiciendo res haec perdifficilis, et quam eruditi existimarunt abstrusam, haud infeliciter possit explanari. Restat, ut alia etiam de Iside dogmata recenseamus, eaque cum Aegypti comparemus proprietatibus. Ea est Nili natura, ut, quum, iusto tempore et ad iustam sedecim cubitorum altitudinem auctus, exundavit, pingui limo, quem magna secum advehit copia, arenosos Aegypti agros saturet efficiatque fecundissimos. Hoc, in Aegyptios quod confert, beneficium Nilus, sub Osiridis nomine, ut iam supra est observatum, adoratus, quem non fugit, is, simulac audierit, quae, apud DIODORVM, Siculum (u), PLVTARCHVM (x) aliosque, de Osiride et Iside, totius generationis caussis, de eorundem coniugio atque prognato inde Oro, superstitiosi fabulantur, statim necesse est intelligat, hunc sub illo cortice nucleum latere, Aegyptum, Niloticis aquis debito modo inundatam ac, veluti a marito suo, impraegnatam, omnis generis fructus cunctaque ad vitam alendam commodeque transigendam necessaria proferre. Ac merito hoc matrimonium ob fecunditatem, per orbem antiquum, fama et litteris est concelebratum; quandoquidem Aegyptus, rite a Nilo irrigata, ubertate agrorum et fructuum tam abundantia, quam varietate nulli facile cedit regioni. Tunc enim laetissime succrescere segetes spicasque singulas centum, immo longe plura fundere grana, testantur cum veteres, tum quotquot, recentiori aevo, in illa regione sunt peregrinati. Sic, quum MOSES scribit (y): ותעש הארץ בשבע שני השבע לקמצים; patet, verborum esse sensum: „Septem ubertatis annis, Aegyptiorum „agri, a Nilo debito modo humectati, pro singulis granis manipulos

 red-

(t) In *Caligula*, Cap. XXXVII. Conf. IOH. SCHEFFERVS *de militia navali veterum*, lib. II. cap. 6.

(u) Lib. I, pag. 13.

(x) *De Iside et Osiride*, pag. 356. A.

(y) *Genes.* XXXXI, 47. Conf. IOH. CLERICVS *in commentariis* ad hunc locum et HENR. SCHARBAV *observationes sacrae*, pag. 268. sqq.

„reddiderunt.„ Consentit cum historico sacro PLINIVS (z): *Cum centesimo quidem et Leontini Siciliae campi fundunt, aliique, et tota Baetica, et inprimis Aegyptus.* Ex recentioribus ad testimonium dicendum excitasse sufficiat saepius iam laudatum BENED. DE MAILLET (a), referentem, hodieque Aegyptum, licet a Tureis, desidia bonum otium terentibus, soli agri, qui Nilo proximi adiacent, colantur, frumenti tamen copiam ingentem quotannis proferre. Magna hac fertilitate adducti videntur prisci istius regionis incolae, ut Isidi eadem insignia, quibus in Graecia Ceres, THEOCRITO (b) πολύσταχυς, *multis spicis abundans*, CALLIMACHO (c) autem πολυμέδιμνος, *multos largiens modios*, dicta, exornata erat, attribuerent, spicas nempe atque modium, perpetua illa apud antiquos fertilitatis symbola. Spicarum enim biga huius numinis indicium est in ipsius ara, Romae, ante annos non ita multos, effossa, et pro tali habetur a felici non minus, quam pereruditо huius marmoris interprete, IOH. OLIVA (d). Et TERTVLLIANVS (e), se in LEONIS, Aegyptii, scriptis legisse, testatur, *primam Isidem repertas spicas capite circumtulisse.* Calathum vero, sive modium in capite gestantem gradientemque ostendit numus, in Diadumeniani honorem, Bybliorum iussu, cusus atque a IOH. VAILLANTIO (f) evulgatus. Nec minus, in marmore anaglyptico, quod Romae hortis nobilium de Palumbariis, ad veterem portam Esquilinam, ornamento et depictum est a RAPHAEL. FABRETTO (g), Isis, dextra Persae folium Serapidi suo, in serpentem desinenti, porrigens, sinistra vero copiae tenens cornu, memorata mensura caput habet contectum. Quod, in hoc monumento, Isidis simulacrum altero brachio sustentat, Amaltheae cornu, locupletis abundantiae apud veteres indicium, illud nostra opinione, nihil significat aliud, quam Aegyptum non modo incolis

---

(z) Lib. XVIII. cap. 10.
(a) *Description de l'Egypte*, pag. 2 sq.
(b) *Idyllio* X. v. 42.
(c) *Hymno in Cererem*, v. 2.
(d) Loco citato, Cap. VI. pag. 43.
(e) *De corona militari*, Cap. VII. citante CAROL. PASCHALIO *de coronis*, lib. VII. cap. 15. pag. 504. edit. Lugd. Bat.
(f) In *Numis Impp. a populis, Graece loquentibus, percussis*, pag. 124.
(g) *Inscriptionum antiquarum* Cap. 6. pag. 471. a.

collis exhibuisse frumentum, sine quo spiritus vix ducitur, sed ea quoque, quae palato non ingrata sunt et a gulosis hominibus vitae annumerari solent deliciis. Harum enim rerum nihil prorsus deerat Aegyptiis: nec quicquam in ea regione desideraßet M. Gabius Apicius, ille, ut a PLINIO (h) vocatur, *nepotum omnium altissimus gurges.* Agri enim Aegyptiaci ὀυ μόνον, verbis utimur DIODORI, Siculi (i), τροφὰς παρέχονται ποικίλας καὶ πᾶσι τοῖς δεομένοις ἑτοίμας καὶ δαψιλεῖς, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐις τὸ ζῆν ἀναγκαίων ὀυκ ὀλίγα φέρουσι βοηθήματα· *Non solum cibos varios, et omnibus indigentibus paratos ac largos, praebent, verum alia quoque vitae necessaria adiumenta non parce subministrant.* PLINIVS (k): *Sequuntur herbae sponte nascentes, quibus pleraeque gentium utuntur in cibis, maximeque Aegyptus, frugum quidem fertilissima, sed ut prope sola iis carere possit: tanta est ciborum ex herbis abundantia.* Obsonia etiam, quibus tot veterum patria sua abligurierunt bona, et Nilus pisculentissimus, et Moeridis lacus, et reliquae paludes, teste HERODOTO (l), copia adeo ingenti praebuerunt, et partim hodienum praebent, ut nemo denegare fidem queat Israëlitis, affirmantibus (m), se gratis in Aegypto pisces comedisse. Instructissimam similiter fuisse Aegyptum armentis pecudibusque, is solus ignorabit, qui nescit, Iudaeos, in Arabiae desertis, carnium Aegyptiacarum flagrasse desiderio. Haud immerito igitur Isidem, regionis huius symbolum, prisci appellarunt *Fructiferam.* Cohonestatur hoc cognomine in veteri lapide, qui Romae ad D. Mariam, in Ara Coeli, cernitur, et, quantum novimus, primum a IAC. PHIL. TOMASINO (n), deinceps etiam a RAPHAEL. FABRETTO (o) est divulgatus:

(h) *Historiae naturalis* lib. X. cap. 48.
(i) Lib. I. pag. 30.
(k) Lib. XXI. cap. 15.
(l) In *Euterpe*, Cap. XCIII. et C.
(m) *Numeror.* XI, 5.
(n) *De donariis ac tabellis votivis*, Cap. VII. pag. 75. edit. Patav.
(o) Loco, modo citato.

ISIDI
FRVCTIFERAE
. . . .



. . . .
POSVIT

Frugiferam eandem deam appellat ſequens inſcriptio, quam ab elegantiſſimo eruditae antiquitatis reliquiarum ſpectatore, MARQVARD. GVDIO (p), ſumus mutuati.



Indicaſſet vellem GVDIVS, ubinam terrarum hocce deſcripſerit monumentum, ut, an diverſum ſit ab eo, quod TOMASINVS et FABRETTVS ediderunt, iudicare poſſemus. Quod ſi vero, uti ſuſpicari licebit, unum eſt idemque: tam laudati duumviri, quam IAN. GRV-

(p) *Antiquarum inſcriptionum* pag. XXII. num. 8.

GRVTERVS (q), apud quem alterum, pedum tamen vestigiis deficientibus, occurrit, huius schedae auxilio emendari poterunt, immo etiam suppleri. Quaesiverunt eruditi, cur Isidi pedum plantas in votum posuerit huius marmoris auctor ? Respondet TOMASINVS, eum propterea hocce donarium consecrasse, ut Isidi, peregrinationis praesidi, quod eum, confecto longo itinere, ad patrios Lares reduxerit incolumem, egisse videretur gratias. Aliter vero sentit FABRETTVS, et suspensas hic arbitratur plantas, quoniam pedum curationem huic numini acceptam retulerint veteres. Neuter vero, nostra opinione, satis accute coniecit, ut assensum iudicari possit meruisse. Quid enim rei est cum pedum vestigiis Isidi, quae, quamvis inter numina vialia subinde recenseretur, eos tamen solos tueri credebatur, qui iter navibus, non vero, qui pedibus faciebant ? Quid etiam rei est Isidi Fructiferae cum pedum curatione ? Occurrit quidem ea in medicorum deorum catalogo: verum, quum illo nomine coleretur, non Fructifera nuncupabatur, sed *Servatrix*, aut *Salutaris*. Mihi si liceat hariolari: dixerim, eo consilio plantas hic esse fixas, ut significarent, monumenti huius auctorem adeo propitiam habuisse hanc frugum praesidem, ut expressa summae eius benevolentiae vestigia, in messe uberrima, animadverterit. Quae non prorsus male coniecta si censebuntur a peritioribus: pertinebunt huc voces, quibus supremi numinis beneficentiam in fecundandis agris celebrant pii Israëlitae, in hunc modum, apud vatem regium, canentes (r): מעגליך ירעפון דשן *Orbitae tuae stillant pinguedinem.* Nam, et hic rerum omnium praepotentis Dei currus huiusque rotarum decurrentium vestigia pinguedinem, id est, omnis generis fruges stillare finguntur, ad significandum, agros Palaestinenses, divino beneficio, laborem impensamque colonorum fetu remunerari adeo magno, ut cuilibet sit numinis praesentis opitulantisque indicium. Collaudat quoque Isidem, ut sedulam frugum creatricem, lapis alius, sub initium ferme saeculi superioris, Voor-

(q) Pag. LXXXIII. num. 10.
(r) *Psalm* LXV, 12. Conf. IOH. CLERICVS *in commentariis*, ad hunc locum.

Voorburgi, in Batavis, effossus, cuius inscriptionem, at mancam, primum GEORG. HORNIVS (s) et, ex eo, THOMAS. REINESIVS (t) ediderunt, deinceps vero integram orbi erudito exhibuit GISB. CVPERVS (u), quam eo minus piget adscribere, quo insolentiori modo Isidem, masculino genere, *Frugiferum* nuncupat:

I. O. M. SARAPI
ISIDI. FRVGIFERO
CAELESTI. FORTVNAE
BONO. EVENTO.

Non facile illorum sententiam mea approbaverim assensione, qui, τὸ FRVGIFERO lapidarium loco movisse et ad Sarapin pertinere, arbitrantur. Nam, singulis lineis peculiaria numina celebrari, video; nec adeo infrequenter Iovem Sarapidis insigniri cognomento, marmora evincunt Viennensia, a IAN. GRVTERO (x) memorata; sicuti etiam τὸ CAELESTI commode refertur ad Fortunam, quippe de qua cecinit IVVENALIS (y):

Nos te,
Nos facimus, Fortuna, Deam, caeloque locamus.

Accedit, quod, ex superstitiosorum placitis, et Iupiter (z), et Bacchus (a), et Minerva (b), et Fortuna (c), immo dii omnino omnes (d) sexus

(s) *Historiae philosophicae* lib. II. cap. 5. pag. 83.
(t) Clas. I. num. 137.
(u) In *Harpocrate*, pag. 10.
(x) Pag. XXII. num. 7. et 8.
(y) *Satyra* X, versu ultimo.
(z) Vid. ORPHEVS, apud APVLEIVM *de mundo*, pag. 262.
(a) ARISTIDES *oratione in Bacchum*, Opp. Tom. I. pag. 29.
(b) ORPHEVS, *in hymnis*, pag. 128.
(c) LACTANTIVS *divinarum institutionum* lib. III. cap. 29. §. 2.
(d) Vide SERVIVM *ad Aeneid.* lib. II. v. 632. et lib. VII. v. 498. et confer, si lubet, LAVR. BEGERI *Thesaur. Brandenburg.* Tom. III. pag. 223. PIER. IVRIEV *dans l'histoire critique des dogmes et des cultes de l'eglise*, pag. 597. sq. DAV. MILLII *dissertationes*, pag. 292. et GISB. CVPERI *numismata antiqua explicata*, pag. 227.

sexus utriusque esse credebantur participes. Atque hanc sequutus opinionem laudati marmoris auctor, Isidem masculino appellavit nomine, idque tanto lubentius, quoniam fortassis novit, Aegyptios, uti testatur AMMONIVS (e), tam virilem, quam muliebrem naturam lunae, a qua haud distinguunt Isidem mythologi, tribuisse. Summo autem iure Aegypto, sub Isidis imagine cultae, propter uberrimam frugum aliorumque alimentorum copiam, Frugiferae titulum veteres adscripserunt. Non modo enim tantum frumenti proferebant eius agri, quantum ad incolas innumerabiles, quos amplius triginta urbium pagorumque millia vix capiebant (f), alendos sufficiebat: sed reliquum etiam erat eorum cultoribus, quo aliarum gentium sublevarent inopiam. Profecto, nisi horrea Aegyptiaca Italis panem praebuissent: cives Romanos fames ursisset saepius, immo absumsisset. Postquam enim, Marc. Antonio ad incitas redacto devictaque Cleopatra Augustus vectigalem fecerat Aegyptum, tanta inde quotannis annona in Italiam urbemque mittebatur, ut haec regio ferme sola alere videretur Quirites; sicuti testibus nec paucis, nec fide indignis evicerunt IVST. LIPSIVS (g), VINCENT. CONTARENVS (h) et, nuper admodum, PETR. BVRMANNVS (i). Immo, et tunc quoque, quum messis mediocris fuisset, aut nulla, suppetebat Aegyptiis triticum hordeumque, quibus prohiberent, ne inedia vicini macerarentur populi; quod abunde illa probant, quae, in sacro codice (k), relata legimus de finitimis gentibus, aetate Iacobi, annonam comparandi caussa in Aegyptum profectis eamque ibi invenientibus; licet ipsi Aegyptii iam per aliquot annos agrorum experti essent sterilitatem. Non ignorant, qui paullo penitiorem venerandae vetustatis sibi acquisiverunt notitiam, priscos homines solitos fuisse, deabus, quas nutricari fabulabantur, ubera, lacte turgentia, nunc bina, nunc magno numero affinge-

T

(e) *In librum Aristotelis de interpretatione*, citante CVPERO, in *Harpocrate*, pag. 17.

(f) Vid. IOH. MARSHAMVS, in *canone chronico*, pag. 420. sq.

(g) *Electorum* lib. I. cap. 8.

(h) *De frumentaria Romanorum largitione*, capite ultimo.

(i) *De vectigalibus populi Romani*, Cap. III. pag. 28. edit. noviss.

(k) *Genes.* XXXXI. vers. ultim.

gere. Norunt hi, Cereri, tanquam matri, cibos suppeditanti liberis, mammas, vitali rore distentas, esse attributas, eamque propterea *mammosae* titulum esse adeptam, quod Sicilia, cuius symbolica erat imago, et cultoribus suis, et vicinis Italis, et aliis nationibus, manu haud parca, praebebat victum. Toto quoque die obvia habent antiquarii Dianae Ephesiae simulacra, eam ob caussam uberibus instructa compluribus, quoniam illud numen *omnium bestiarum*, ut scribit S. HIERONYMVS (l), *et viventium nutrix* credebatur, vel, quod nobis magis arridet, quia Asiam, inprimis minorem, adeo ingenti ciborum copia tantisque vitae deliciis affluentem, ut innumeris mortalibus opipare alendis par esset, mystice significabat. Eandem ob caussam Isidem quoque, vel, quae sub eius schemate latet, Aegyptum, tot incolarum, immo tot gentium nutricem, multimammiam pinxerunt antiqui; quo habitu comparet in lapide vetusto sequenti, a MICH. ANGEL. DE LA CHAVSSE (m) publici facto iuris.



Vi-

(l) In *prooemio epist. Paulli ad Ephesios* Conf. EZECH. SPANHEMII *commentar. in Callimachum*, pag. 226.

(m) *Le grand cabinet Romain*, pag. 19.

Videmus hic mulierem, duobus mammarum instructam ordinibus, circumdatamque quatuor elementorum figuris, sic, ut ursus terram, salamandra ignem, aquila aërem, piscis vero aquam denotet. Nemo vero quicquam habere potest, cur vereatur, ne viri docti, qui hanc figuram de Iside explicarunt, titubaverint. Vti enim haec dea ab APVLEIO (n) *elementorum omnium domina* salutatur: ita, hac in sculptura, quatuor rerum principia, tanquam ministri et corporis satellites, eandem stipant. Et, quas artifex scalpro repraesentavit mammas, eas verbis describit MACROBIVS (o): *Isis cuncta religione* (quid, si scriberemus *regione?*) *celebratur, quae est vel terra, vel natura rerum subiacens soli. Hinc est, quod continuatis uberibus corpus deae omne densetur: quia vel terrae, vel rerum naturae altu nutritur universitas.* Non solum cibos, quibus partim fames depellitur, partim gula potest titillari, sed ea quoque Aegyptus colonis suis praebebat, quibus nuditatem poterant tegere, solis arcere radios frigorisque vim acriorem, quae nocturno praesertim tempore orientalibus videtur intolerabilis, depellere. Laete enim hac in regione succrescebat linum; unde priscis hominibus erant vestimenta. Cave autem, te rapi patiaris in errorem a IOH. BRAVNIO (p); quippe qui, quum linum Aegyptiacum dicere debuisset xylinum, vel gossypium, illud ex herbae notissimae factum fuisse cortice, perperam et contra antiquorum affirmavit fidem. Erroris arguitur a IVL. POLLVCE (q): Παρ' Ἀιγυπτίοις ἀπὸ ξύλου τὶ ἔριον γίγνεται, ἐξ οὗ τὴν ἐσθῆτα λινοῦ ἂν τις μᾶλλον φαίη προσεοικέναι, πλὴν τοῦ πάχους. ἔτι γὰρ παχύτερος τῷ δένδρῳ καρπὸς ἐπιφύεται, καρύῳ μάλιστα προσεοικὼς, τριπλῷ τὴν διάφυσιν. ἧς διαστάσης, ἐπειδὰν ἀυανθῇ τὸ ὥσπερ κάρυον, ἔνδοθεν ἐξαιρεῖται, τὸ ὥσπερ ἔριον. ἀφ' οὗ κρόκη γίγνεται. τὸν δὲ στήμονα, ὑφιστᾶσιν αὐτῷ λινοῦν. *Apud Aegyptios, ex arbore lana quaedam fit, ex qua vestem confectam lino maxime similem esse quispiam dixerit, sola densitate excepta. Densior enim arbori fructus ena-*

 sci-

(n) *Metamorphos.* lib. XI. pag. 649.

(o) *Saturnalium* lib. I. cap. 20. sub finem.

(p) *De vestitu sacerdotum Hebraeorum*, lib. I. cap. 7. pag. 106. et alibi passim.

(q) In *Onomastico*, lib. VII. segm. 75. sq. Conf. IOH. OLDERMANNI *dissert. de vestibus byssinis Pont. M. in expiationis festo* §. IIII. sqq.

scitur, nuci similis, triplici munitus cortice: qua dirempta, postquam instar nucis floruerit, interius hoc, quod lanam refert, eximitur, unde subtegmen conficitur: stamen autem illi subtendunt lineum. Nec non a PLINIO (r): *Aegyptio lino minimum firmitatis, plurimum lucri. Quatuor ibi genera: Taniticum ac Pelusiacum, Buticum, Tentyriticum, cum regionum nominibus, in quibus nascuntur. Superior pars Aegypti, in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui gossypion vocant, plures xylon, et ideo lina inde facta xylina. Parvus est, similemque barbatae nucis defert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt eis candore mollitiave praeferenda. Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimae* etc. Vestimenta, quae ex xylino illo conficiebantur, tanto in pretio honoreque apud vetustos erant, ut viri summi sacrique, se illis exornare, pulcrum ducerent. Gestabant illa non solum religionis apud Aegyptios praesules; sicuti modo ex PLINIO accepimus et amplius docet HERODOTUS (s): sed donabantur quoque iisdem, publica auctoritate, qui de communi re bene meruisse iudicabantur; id quod ex Iosephi apparet historia (t). Nec minus pontifex Hebraeorum maximus, die expiationis, ut Mischnici doctores tradunt (u), בשחר היה לבש פלוסין *mane induebatur Pelusiacis vestibus.* Immo etiam Herculis Gaditani sacerdotes, iisdem fuerunt amicti, teste SILIO ITALICO (x):

Velantur corpora lino,
Et Pelusiaco praefulget stamine vertex.

Libenter quoque hocce xylino usi videntur luxuriosi; quandoquidem meretrix, apud SALOMONEM (y), indicatura lecti sui mollitiem, dicit: חטבות אטון מצרים *Spondam meam* instruxi *lino Aegyptiaco.* Quemadmodum autem, ceteras Aegyptiacae terrae proprietates Isidi esse adscriptas, hactenus est ostensum: sic quoque facile nunc perspicimus, ean-

(r) *Historiae naturalis* lib. XVIIII. cap. I.

(s) In *Euterpe*, Cap. LXXXXI.

(t) *Genes.* XXXXI, 42.

(u) In יומא, *s. codice de sacrificiis caeterisque ministeriis diei expiationis*, cap. III. § 7.

(x) *Punicorum* lib. III. v. 24. sq.

(y) *Proverb.* VII, 16.

eandem deam *Linigenae* titulo insigniisse superstitiosos ad designandam lini Aegyptiaci et copiam, et, per orbem antiquum, celebritatem. Appellatur hoc cognomine passim apud OVIDIVM (z):

Nec tu, linigenam fieri quid possit ad Isin,
Quaesieris.

Iterum (a):

Neu fuge linigenae Memphitica templa iuvencae.

Et alibi (b):

Vidi ego linigenae numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.

Habent quidem operum vatis Sulmonensis editiones, quas nobis licuit inspicere, plerique omnes pro *linigena*, quod expressimus, *linigera*. Probarunt quoque posteriorem lectionem critici complures, arbitrati, id nominis inditum propterea esse Isidi, quod sacerdotes ipsius lineis induti fuerint vestimentis. Quum vero *linigenae* epitheton apte quadret in Isidem, sive Aegyptum, lino feracissimam; ac praeterea vero longe sit similius, hanc deam a sua potius indole, quam a sacrificulorum vestibus esse cognominatam: IOS. SCALIGERO (c) et IOH. BRITANNICO (d),quibus τὸ *linigena* placet, subscribere, nulli dubitavimus. Praeter ea autem, quae corpori, cibis necessariis, immo etiam cupediis, nutriendo, eidemque tegendo inserviunt, opimum Aegypti solum abundanter quoque protulit, quae incolarum naribus esse debebant grata, quibusque iidem oculos mira varietate poterant pascere. Nilus enim, quo haud facile alius fluvius herbae gignendae floribusque alendis reperitur aptior,quicquid alluit,vestit veluti floribus, non paucis diebus occidentibus, sed propemodum perennibus; qui tanto magis nitent,quo benigniore circumfunduntur aëre, quoque maiori ab hortulanis coluntur diligentia. ATHENAEVS (e), pompam Ptolemaei Philadelphi

 Alex-

(z) *Amorum* lib. II. eleg. 2. v. 25.
(a) *De arte amandi*, lib. I. v. 77.
(b) *Epistolarum ex Ponto* lib. I. epist. I. v. 51. sq.
(c) In *Notis ad* OVIDII *Amorum* locum citatum.
(d) *Ad* IVVENALIS *satyrae* VI. v. 533.
(e) *Deipnosoph.* lib. V. pag. 196. D.

Alexandrinam, CALLIXENI enarrans verbis, inter alia ſcribit : Ἡ Αἴγυπτος καὶ διὰ τὴν τοῦ περιέχοντος ἀέρος εὐκρασίαν, καὶ διὰ τοὺς κηπεύοντας, τὰ σπανίως καθ' ὥραν ἐνεστηκυῖαν ἐν ἑτέροις φυόμενα τόποις ἄφθονα γεννᾷ καὶ διὰ παντός· καὶ οὔτε ῥόδον, οὔτε λευκόϊον, οὔτ' ἄλλο ῥᾳδίως ἄνθος ἐκλιπεῖν οὐδὲν οὐδέποτ' εἴωθε. διὸ δὴ καὶ κατὰ μέσον χειμῶνα τῆς ὑποδοχῆς τότε γεννηθείσης, παράδοξος ἡ φαντασία τότε τοῖς ξένοις κατέστη· τὰ γὰρ εἰς μίαν εὑρεθῆναι στεφάνωσιν οὐκ ἂν δυνηθέντα ἐν ἄλλῃ πόλει ῥᾳδίως, ταῦτα καὶ τῷ πλήθει τῶν κατακειμένων ἐχορηγεῖτο εἰς τοὺς στεφάνους ἀφθόνως· καὶ εἰς τὸ τῆς σκηνῆς ἔδαφος κατεπέπαστο χύδην, θείου τινὸς ὡς ἀληθῶς ἀποτελοῦντα λειμῶνος πρόσοψιν. *Aegyptus, ob circumfuſi aëris temperiem, et olitorum induſtriam, quae parcius, etiam tempore ſuo, alibi proveniunt, copioſiſſima gignit, et perenni fecunditate, ut nunquam roſae, violae, aliusve quivis flos facile non ſuppetat. Quamobrem media hieme, quum apparatum id convivium eſſet, inopinata et inſolens tanquam viſorum ſpecies quaedam apparuit. Nam, quae ad unius coronae contextum in alia civitate vix reperta fuiſſent, ea largiſſime ad convivarum ſingulorum coronas abundabant, et ſuppeditabantur, atque adeo cumulate effuſa tabernaculi ſolum obtegebant, ut prati cuiusdam divini prorſus imaginem oſtentarent.* Quamvis autem Aegyptus, pro diverſis anni tempeſtatibus, diverſas veluti veſtes induit; atque modo ſegetibus nudata, candida apparet, modo a Nilo inundata, nigra videtur, modo, quum herbae ſuccreſcunt, virida eſt, tum vero, poſtquam ſegetes ad maturitatem pervenerunt, flavum habet aſpectum: nunquam tamen ingratum oculis praebet ſpectaculum, ſic, ut propterea hodieque ab Arabibus collaudetur. Nam, IBRAHIM BEN VASSAF SCHAH, auctor libri de praeſtantia et dignitate Aegypti, apud BART. DE HERBELOT (f), affirmat, hanc regionem tribus menſibus candore cum margaritis certare, tribus ſequentibus aeque nigram eſſe ac Moſchum, dehinc totidem menſibus viridem inſtar Smaragdi apparere, ac tandem Ambaro videri flaviorem. Idem quoque ex Arabibus ſe audiſſe refert BENED. DE MAILLET (g), quem vero ſua ex

HER-

(f) *Bibliotheque orientale*, pag. 580. a.

(g) *Deſcription de l' Egypte*, pag. 70.

HERBELOTO hausisse, non sine ratione suspicamur. Eosdem propemodum colores animadvertere licet in vestimentis Isidis, floribus exornatis, quae APVLEII stylo non piget describere (h): *Multicolor bysso tenui pertexta, nunc albo candore lucida, nunc croceo flore lutea, nunc roseo rubore flammida: et, quae longe longeque etiam meum confutabat obtutum, palla nigerrima splendescens atro nitore - - - quaqua tamen insignis illius pallae perfluebat ambitus, individuo nexu corona, totis floribus totisque constructa pomis, adhaerebat.* Verum enim vero, cum non rarenter sub herbis speciosissimis floribusque et visui, et olfactui iucundis, virulentae latent viperae, colonorum insidiantes saluti: tum quoque laetissimos Aegyptiorum agros viretaque varii generis angues infestant. AMMIANVS MARCELLINVS (i): *Serpentes Aegyptus alit innumeras, ultra omnem perniciem saevientes: basiliscos, et amphisbenas, et scytalas, et acontias, et dipsadas, et viperas aliasque complures, quas omnes magnitudine et decore aspis facile supereminens nunquam sponte sua fluenta egreditur Nili.* Idem testatur commemoratus modo MAILLETVS (k), qui etiam inter alia observat, non infrequentes ibi esse serpentes, hoc habentes singulare, quod cauda incedere et in utroque cervicis latere cutem, ad alae instar, palmari ferme latitudine, soleant inflare; unde fabulam de volucribus anguibus esse natam, scite coniicit. Non immerito igitur haec regio apud ESAIAM (l) vocatur terra, ex qua venit אפעה ושרף מעופף, *vipera et prester volans.* Videmus et huius calamitatis Aegyptiacae manifesta indicia in sacris Isiacis. Illam enim significat in Isidis statuta, quae Romae exstat et apud BERN. DE MONTFAVCON aeri incisa occurrit (m), serpens, deae tibias, uno ambitu, stringens, deinde vero multis gyris ad pectus usque ascendens. Eandem quoque ob caussam τῆς Ἴσιδος τὰ ἀγάλματα, sunt verba AELIANI (n), θέρμουθι, ἀσπίδι, ὡς τινι διαδήματι βασιλείῳ, *Isidis simu-*

(h) *Metamorphos.* libro citato, pag. 636. sq.
(i) Lib. XXII. pag. 231. sq.
(k) Loco citato, pag. 36.
(l) Cap. XXX, v. 6.
(m) *Supplement au livre de l' antiquité expliquée,* Tom. II. tab. XXXXIII.
(n) *De natura animalium,* lib. X. cap. 31.

ſimulacra Thermuthi, aſpidi, tanquam regio quodam diademate, coronata, hodieque antiquariis occurrunt. Hinc VALER. FLACCVS (o) canit de Io, ex qua factam eſſe Iſidem, ſibi perſuaſerant Graecorum Latinorumque theologi:

Haec procul Iö
Spectat ab arce Phari, iam divis addita, iamque
Aſpide cincta comas.

Quum itaque, ad capitis quod ſpectat ornatum, Iſis haud diſſimilis eſſet Eumenidibus, pro capillis, ut poëtae fingunt, ſerpentes contortos habentibus: crediderim, hinc fluxiſſe, quae CASP. BARTHIVS (p) in BENEDICTI, Abbatis Floriacenſis, gloſſario legit: *Furiae*, ἐριννύες, Ἰσὶς, Φάρια. Quominus vero haec natricum viperarumque agmina nimium inferant damni incolis, hosque vel vita privent, vel ad patriam relinquendam adigant, prohibet avis Aegypto propria, nomine Ibis, quippe quam maximam ſerpentium vim interficere et conſumere, ne vivae morſu, mortuae autem tetro odore noceant, et recentiores hiſtoriae naturalis auctores teſtantur, et ſuo iam aevo obſervarunt CICERO (q), PHILE (r) et IVVENALIS (s). Mirum igitur, niſi et hanc volucrem Iſidis imaginibus adiunxiſſent ſuperſtitioſi. Solet illa nunc tota numinis iſtius capiti imminere, nunc vero ſolo ſuo procero roſtro eidem eſſe ornamento; quemadmodum in Iſiacis monumentis, a ſaepius memorato MONTFAVCONIO (t) in medium allatis, videmus. Denique, non uno valetudinis genere Aegyptiorum tentabantur corpora; cuius mali cauſſam ego haud alibi quaeſiverim, quam in ſumma victus abundantia aërisque temperie nimis calida, fecundiſſimis illis variarum infirmitatum matribus. HERODOTVS (u) quidem et, qui ipſi adſtipulatur, ISOCRATES (x) contendunt, Aegypti habitatores omnium mor-

(o) *Argonautic.* lib. IIII. v. 416. ſqq.
(p) *Adverſariorum* lib. XXXXVII. cap. 17.
(q) *De natura deorum*, lib. I. cap. 36.
(r) *De animalium proprietate*, Cap. XVI, v. 11. ſqq.
(s) *Satyra* XV, v. 3.
(t) *Antiquité expliquée*, Tom. II. pag. 276.
(u) In *Euterpe*, Cap. LXXVII.
(x) In *Buſiridis laudatione*, pag. 225. E. edit. Henr. Stephani.

mortalium, ob temperiem caeli constantem, sanissimos degere et ferme ultimos vitae humanae attingere terminos. Meritissimo autem illud de summa regionis huius salubritate adsertum in dubium vocat IOH. HENR. SCHVLZIVS (y), vir tanti ingenii tantaeque eruditionis, ut nemo quicquam tam magnifice dixerit, quin illud eius longe superent merita. Illum enim historiae, uti vocant, parentem, dum summam Aegypti concelebrat salubritatem, haud tradere veritati consentanea; hunc vero oratorem non, quid ipsum decuerit dicere, sed, quae in rem suam facere iudicaverit, considerasse, ac, fortassis ab HERODOTO deceptum, Aegyptiorum collaudasse longaevitatem, ut firmiter credamus, multa sunt, quae suadent, immo cogunt. Certe, qui nostra patrumque nostrorum memoria orientis perlustrarunt partes, et in his praecipue NIC. MELCHIS. THEVENOTIVS (z), diserte narrant, Aegyptios non uno valetudinis generi esse obnoxios. Aiunt, eos et scroti pedumque tumore saepius vexari, et exanthematibus, per totum corpus dispersis, cruciari, et oculis laborare, et pestilentia, anno quovis septimo redeunte, conflictari. Ne quis vero hosce morbos ex illorum esse genere reputet, qui, priscis hominibus incogniti fuerunt et, nostra demum aetate, instar novorum siderum, sunt exorti: testamur ipsos scriptores sacros, cum recentioris aevi peregrinatoribus plane concordantes. MOSES enim, nomine summi rectoris numinis, populo Israëlitico, si dictis divinis obediens esset futurus, pollicetur (a): והסיר
יהוה ממך כל חלי וכל מדוי מצרים הרעים אשר ידעת לא ישימם בך
Avertet Iehova a te omnem infirmitatem, neque ullos tibi immittet Aegypti molestos morbos, quos novisti. Quae verba, quum faciant planum gravissimis morbis Aegyptios veteres esse vexatos, HERODOTI et ISOCRATIS fidem prorsus infringunt. Quid? quod in catalogo Aegyptiacarum infirmitatum, quas deus, in Iudaeos rebelles se immissurum esse, eodem

V inter-

(y) In *Historia Medicinae*, Period. I. sect. I. cap. 3. §. 26.

(z) *Itinerarii orientalis* lib. II. cap. 80.

(a) *Deuteron.* VII. 15.

interprete (b), minitatur, pleraeque omnes occurrunt, quas hodiernos Aegyptios cruciare, ex THEVENOTIO difcimus. עפלים enim, quod vocabulum eſt ab עפל, *tumuit*, noſtro iudicio, rectius de pedibus ſcrotoque intumeſcentibus, quam de mariſcis, uti vulgo fit, exponitur; ſicuti etiam arbitramur, MOSIS שחין et עורון haud eſſe alios morbos, quam qui cutem Aegyptiorum ulceribus opplent, oculos vero lippos efficiunt, aut eorum hebetant aciem. Quod autem ad גרב et חרס attinet, quas infirmitates idem divinus ſcriptor contumacibus popularibus ſuis denunciat, nihil videmus, quod prohibeat, quominus credamus, priori dictione deſignari Elephantiaſin, poſteriori autem Lichenem; quorum vitiorum genetricem Aegyptum aperte nuncupat PLINIVS (c). Quemadmodum vero recenſiti hactenus morbi Aegypto veluti peculiares ſunt et ab ipſius regionis producuntur indole: ita, eos immitti ab Iſide irata, perhibebant ſuperſtitionis antiſtites. De tumoribus, vel, ſi mavis, de ulceribus tetris, quae, propter ſummam eorum in Aegypto frequentiam, ARETAEVS (d) *Aegyptiaca* vocat, intelligendus eſt PERSIVS (e):

Hinc grandes Galli, et cum ſiſtro luſca ſacerdos,
Incuſſere deos inflantes corpora, ſi non
Praedictum ter mane caput guſtaveris alli.

De coecitate canit LVCILLIVS (f):

Ἥντιν' ἔχῃς ἐχθρὸν, Διονύσιε, μὴ καταράσῃ
  Τὴν Ἶσιν τούτῳ μηδὲ τὸν Ἀμφικράτη.
Μηδ' εἴτις τυφλοὺς ποιεῖ θεόν. - -

Si quem habes inimicum, Dionyſi, ne preceris
  Iſidem ipſi, neque Amphicratem,
Neque aliud excoecans numen. - -

Nec

(b) Cap. XXVIII. 27, 28.
(c) *Hiſtoriae natural.* lib. XXVI. cap. 1.
(d) *De cauſſis et ſignis acutorum morborum,* lib. I. cap. 9. pag. 8. A. edit. Boerhave.
(e) *Satyra* V. v. 186. ſqq.
(f) *Anthologiae* lib. II. cap. 22. pag. 208.

Nec non OVIDIVS (g):

Alter, ob huic similem privatus lumine culpam,
Clamabat media se meruisse via.

IVVENALIS (h) vero de compluribus morbis:

Decernat, quodcunque volet, de corpore nostro
Isis, et irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel coecus teneam, quos abnego, nummos.
Et phthisis, et vomicae putres, et dimidium crus
Sunt tanti?

Ita comparatum est, divino beneficio, cum natura, ut, quo plures regionem quandam populantur morbi, eo efficacioribus aptioribusque ad morbos depellendos remediis eandem prospiciat. Loquitur hanc benignissimi numinis gratiam cum universa naturalis historia, tum inprimis Aegyptus; cuius coloni bene multas quidem experiuntur valetudines; sed ita, ut medicamina nec diu ipsis sint quaerenda nec aliunde petenda. Inter herbas enim aliasque fruges, quas eius gignunt agri, innumerabiles occurrunt salubres, quae recte utentibus certissimas afferunt consolationes; id quod HOMERO iam est observatum (i):

Αἰγυπτίη τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Aegyptia, quae plura producit fertilis terra
Medicamina, multa quidem bona mixta, multa tamen et mala.

Neque in rem suam haec naturae dona convertere omiserunt Aegyptii: quin potius, quum, tot doloribus angi suos, animadverterent, omnem moverunt lapidem, ut, cognita morborum natura exploratisque herbarum viribus, salutiferas aegris relevandis medelas ad manus haberent. Vniversa antiquitas huius nationis tam laboris patientiam, quam ingenii magnitudinem summis effert laudibus, eoque efficit, ut libens lubensque assentiar HERM. CONRINGIO, aeterno Academiae Iuliae de-

(g) *Epistolarum ex Ponto* loco citato, v. 53.
(h) *Satyra* XIII. v. 92. sqq.
(i) *Odyss.* lib. IIII. v. 229. sq. Conf. PLVTARCHVS *de audiendis poetis*, pag. 15. B.

decori, contendenti (k), Aegyptiis primam medicae artis gloriam deberi, atque inde eam primum ad Graecos, deinceps vero ad alios migrasse populos. Et, quidni toto capite annuerem viro summo? Nulla certe orbis antiqui natio poterit indicari, quae ad hanc disciplinam strenue colendam maiore impulsa fuerit necessitate, quaeque intensiori studio ad illam incubuerit amplificandam. Vti enim hodieque, apud scriptores priscos (l), supersunt tabulae, quibus sapientissimi legum Aegyptiacarum latores sanxerunt, ne quis plura opificia pluresve exerceret artes, quo singulae ad eo altiorem deducerentur perfectionis gradum: ita etiam, teste HERODOTO (m), iidem medicinam ea distribuerunt ratione, ut quidam oculis, alii capitis, alii aliorum membrorum infirmitatibus deberent mederi. Quae quum ita sint: nemo facile fidem denegare poterit antiquis, affirmantibus, omnem propemodum Aegyptum medicinae studiosis doctoribusque fuisse refertam, immo universos Aegyptios medica floruisse peritia; sicuti non solum PLVTARCHVS (n) refert, sed suo iam aevo cecinit HOMERVS (o):

Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων· ἦ γὰρ Παιήονός εἰσι γενέθλης.
Medicus vero unusquisque peritus supra omnes
Homines; sane enim Paeonis sunt generis.

Facile quidem salutaris humaniorumque artium peritissimus IOH. HENR. SCHVLZIVS (p) mihi persuaserit, huius gentis peritiam medicam limitibus fuisse circumscriptam admodum arctis, nec ulterius extensam, quam quod ad morborum curationes simplicissima pariter, ac vulgaria remedia ostenderit adhibenda: ex iis tamen, quae hactenus de disciplina salutifera, apud Aegyptios et orta, et exculta, sumus commen-

(k) *Introductionis in artem medicam* cap. III. citante GEORG. PASCHIO, *de inventis nov-antiquis*, Cap. VI. pag. 509.

(l) Vid. DIODORVS, Siculus, *bibliothecae historicae* lib. I. pag. 68.

(m) In *Euterpe*, cap. LXXXIIII.

(n) In *Gryllo*, pag. 991. E.

(o) Loco citato, v. 231. sq.

(p) Loco citato, Cap. IIII. §. 17.

mentati, abunde patere arbitramur, quare Isidem medicinae parentem dixerint veteres, eidemque honestum inter numina opifera locum adsignaverint. Scilicet, ut, popularibus suis quantum debeant mortales, aenigmatice ostenderent sacrificuli, docuerunt, huic numini suo patrio, teste EVSEBIO (q), *Φαρμάκων πολλῶν, καὶ ἰατρικῆς ἐπιστήμης, remediorum multorum, immo ipsius artis medicae* deberi inventionem. Et, propter Aegyptiorum in medicina exercitationem, consecuta est Isis cognomen *Salutaris*, quod diis medicis praecipue dedisse veteres, fugit neminem. Gerit illum titulum in lapide, apud IAN. GRVTERVM (r):

SECVLO. FELICI
PHISIAS. SACERDOS. ISIDIS. SALVTARIS
CONSECRATIO
PONTIFICIS. VOTIS. ANNVANT. DII. ROMANAE
REIP. ARCANAQVE. VRBIS. PRAESIDIA. ANNVANT
QVORVM. NVTV. ROMANO. IMPERIO. REGNA. CESSERE.

Nec non in alio, apud RAPHAEL. FABRETTVM (s)

I. S. I. P. D. M
ISIDI. SALVTARI
PRO. SAL. Q. VERGILII
MODESTI. CASSIA. MAT.
V. S. D.

Hinc in morborum periculis Isidi vota nuncupabantur; uti videmus in sequenti marmore Reinesiano (t):

ISIDI. ET. SERAP
SACRVM
EX. VOTO
PRO. FILIOLI. SALVTE
SVSCEPTO
SAVRANA. FECIT.

V 3 Et

(q) *Praeparationis evangelicae* lib. II. cap. 1. pag. 48. C.
(r) Pag. LXXXIII. num. 15.
(s) Pag. 470. b.
(t) Clas. I. num. 132.

Et in alio, apud CAROL. CAES. MALVASIAM (u) obvio:

ISIDI SERAPI LIBER
LIBERE VOTO
SVSCEPTO PRO SALVTE
SCAPVLAE FILII SVI
P. QVINTILIVS PARIS
S. L. M.

Addimus tertium, quod exscripsit IAC. PHIL. THOMASINVS (x):

ISI. SACR
L. MAIVS
PHILEAS. VI. VIR
AQVIL. OB
SALVT. GRATTIANI
FILII. ET. GRATTIAE

Alias qui, huius numinis ope se factos esse sanos, credebant, illi, vota sua sancte reddituri, in eius delubris pictas suspendere solebant tabellas; quemadmodum ex his TIBVLLI (y) intelligimus:

Nunc dea, nunc succurre mihi; nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Nam, quae hic dicitur *Nunc dea*, eam non esse diversam ab Iside, contextus docet, et, post viros doctos alios, observavit auctoritateque PROPERTII (z) et LVCANI (a) confirmavit laudatus modo TOMASINVS (b). Plura superstitiosorum de numine Isiaco dogmata enumerare pos-

(u) In *Marmoribus Felsineis*, pag. 10.
(x) In *Manus aeneae, Cecropii votum referentis, dilucidatione*, pag. 37.
(y) Lib. I. eleg. 3. v. 27. sq.
(z) Lib. II. eleg. 21. v. 20.
(a) *Pharsalicorum*, lib. VIIII. v. 158.
(b) *De donariis ac tabellis votivis*, Cap. VII. pag. 74.

possemus atque ostendere, illis, tanquam cortice quodam, nil nisi Aegyptiorum mores, instituta aliaque memorabilia abscondi. Verum, quia, quae in medium attulimus, satis superque sententiam nostram confirmant; veremurque, ne, materiam hanc ulterius si persequamur, in nimiam haec disputatio excrescat molem: progredimur nunc ad tertium, quod nos evicturos recepimus, argumentum, nempe, praeter Canobum, Aegypti oppidum, alias eiusdem nominis urbes in Africa quondam exstitisse. Planum hoc facit STEPHANVS, Byzantinus, (c) dum καὶ Λιβύης τόπον Κάνωβον, *Libyae quoque locum Canobum*, memorat. Adscribit hocce oppidum, quod fortassis Canobitarum Aegyptiacorum colonia exstruxit, PLINIVS (d) Africae, latius sumtae, illudque fuisse refert ex quindecim in mediterraneo sitis civium Romanorum oppidis. PTOLEMAEVS (e) vero, apud quem Κανώπισσαι, nescio an satis emendate, vocatur, illud collocat inter Tabracam, civitatem, et Bagradam, fluvium. Floruit in iisdem ferme Africae partibus, aliud quoque oppidum, *Canopitanum* dictum, quod inter triginta liberas urbes recenset idem PLINIVS (f), atque, post exortam salutarem doctrinam, episcopo sedem praebuit (g). Ab harum igitur urbium incolis ut se distinguerent Canobitae Aegyptiaci, utque, conspecto plumbeo numismate nostro, statim intelligeretur, ipsos, non vero alios Canobitas, eius esse auctores, Iidem, Aegypti imaginem symbolicam, numini suo patrio comitem dederunt. Eum nempe morem monetarios veteres novimus servasse, ut civitatum, quarum auctoritate numos cudebant, situm indicarent, easdemque ab urbibus homonymis, si tales nossent reperiri, sollicite discer-

(c) Vocabulo, Κάνωπος.

(d) *Historiae natural.* lib. V. cap. 4. pag. 248.

(e) *Geographiae* lib. IIII. cap. 3.

(f) Loco, modo citato.

(g) Vid. IOH. ALB. FABRICII *index geographicus episcopatuum orbis Christiani*, subiunctus eiusdem *Notitiae propagatorum per orbem totum Christianorum sacrorum.* Adde *Collat. Carthag.* num. 133. ubi, testante IOH. HARDVINO, *in notis ad Plinii loc. cit.* mentio iniicitur *Felicis*, *episcopi Canopitanorum.*

discernerent, idque variis modis; quod inter eos etiam constare debet, qui aliquid tantum studii in aeris vetusti contemplatione consumserunt. Nunc enim fluviorum, urbes praeterfluentium, icones et nomina expresserunt; uti videmus in Commodi numo, apud ANDR. MORELLIVM (h), signato Laodiceae, quae cum aliis eiusdem nominis urbibus, in Syria, Lycaonia et Media, teste STEPHANO, Byzantino (i), celebribus, ne confunderetur, adpinxit monetarius duos fluvios recumbentes, Lycum et Caprum, qui significarent, opus hoc esse Laodicensium, in Phrygia, super memoratis fluminibus olim habitantium. Nonnunquam vero nomina, aut simulacra numinum, quae singulae civitates prae ceteris venerabantur, eandem ob caussam, in aere antiquo conspicimus expressa. Sic, frequentes sunt in beatiorum cimeliarchis atque etiam numero haud adeo parvo recensentur a IOH. HARDVINO (k) numi, quos Hierapolis, sive, ut olim fuit dicta, Bambyces, haud procul ab Euphrate sitae, habitatores signari iusserunt, et in quibus ΘΕΑϹ ϹΥΡΙΑϹ, *Deae Syriae*, religiosissime ibi cultae, legitur nomen, ne quis eos Hierapolitanis, Maeandri accolis, attribuat. Hi vero Phryges, eundem in finem, argentum suum imagine exornarunt (l) Apollinis Citharoedi, quem, testibus DAMASCIO (m) et veteri marmore, a IAC. SPONIO (n) Hierapoli invento, et edito, divinis prosequebantur honoribus. Aliquando autem ipsae expressis verbis indicantur regiones, ad quas civitates, in quarum officinis monetariis numismata sunt elaborata, pertinuerunt. Sic, in numo Antonini Pii, Heliopoli, nobilissimo Caeles Syriae oppido, fabrefacto, ne quis,

(h) In *Specimine universae rei numariae antiquae*, tab. XII. pag. 137.

(i) Voce Λαοδίκεια.

(k) In *Numis antiquis populorum et urbium, Operum selectorum* pag. 72.

(l) Vid. IOH. VAILLANT *numismata Impp. a populis, Graece loquentibus, percussa*, pag. 8.

(m) Apud PHOTIVM in *Myriobiblo*, pag. 1054.

(n) *Voyage d' Italie, de Dalmatie, de Grece et du Levant*, Tom. I. pag. 420.

quis, eum Aegypti Heliopolim habere patriam, sibi persuadeat, scribitur: ΗΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΕΝ ΤΩ ΛΙΒΑΝΩ. CAROL. quidem PATINVS (o), qui hunc aereum publici fecit iuris, legit ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ: sed tamdiu IOH. HARDVINO (p), censenti, male sanam hanc esse scriptionem, legendumque ΗΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, adstipulabimur, donec fuerit demonstratum, in Libano quoque stetisse quondam Hierapolim; qua vero de urbe, in hoc usque tempus, nihil apud geographos invenimus relatum. Et, quum Seleucus, Nicator, in variis Asiae tam minoris, quam maioris partibus, novem condidisset urbes, ab ipso Seleucias denominatas (q): illi, qui Seleuciam, in novem illis propemodum illustrissimam atque in maris Syri exstructam littoribus, inhabitarunt, ut patriam suam a reliquis Seleuciis distinguerent, eam a regione Pieria, cui erat ornamento, in aere suo, cognominarunt *Seleuciam Pieriam*, vel *in Pieria*, nempe sitam. Testes huius rei habemus, praeter numos complures, passim in numismatographorum libellis obvios, binos, quos hic exhibemus conspiciendos.



Debemus haec cimelia liberalitati CAROL. GRANELLII, S. I. AMALIAE, AVGVSTAE, quum viveret, a sacris obsequiis, ex cuius thesauro longe instructissimo, proxeneta amicissimo nobis ERASM. FROELICHIO, S. I.

ea

(o) In *Numism. Impp. ex aere mediae et minimae formae*, pag. 228.

(p) Loco citato.

(q) Vid. APPIANVS, Alexandrinus, *de bellis Syriacis*, pag. 201.

ea accepimus; dignaque vel propterea iudicavimus, quibus hic concederetur locus, quoniam horum numorum alter, quantum meminimus, lucem nondum aspexit, alterius vero auxilio eius ectypum, quod, apud CAROL. PATINVM (r), mancum exstat atque vitiosum, poterit et emendari, et suppleri. Quae quum ita sint: nihil statuere censendi sumus, a priscorum hominum moribus alienum, quum credimus, propterea Canobitas numini suo patrio adiunxisse Isidem, Aegypti symbolum, ut Canobitarum Africanorum numi cum ipsorum ne confunderentur aere.

(r) Loco citato, pag. 180.



CAPVT

CAPVT VIII.

Templum, in nostro signatum numo, illud repraesentat, in quo Canobitae urbis suae adorarunt symbolum. Canobus, deus, cur a Graecis Neptunus appellatus? Eustathius refutatur, indicanturque variae vocis τίμενος significationes. In hoc fano Canobus oracula edebat aegrotique, medicinae caussa, solebant incubare. Canobico numini titulus Serapidis adscriptus. Patrios potius deos, quam peregrinos consulebant veteres. Serapidis oraculum Alexandrinum. Hodieque nonnulla Canobi superesse responsa, adversus Athan. Kircherum, negatur. Templum Canobicum ut discendi patuit officina. Docuit in eo Antoninus, Philosophus Platonicus. Iam antiquissimis temporibus ibidem adolescentes erudiisse videntur sacrificuli. Scholas, apud orientales, a locis sacris non seiunctas, aut saltem in eorum exstructas fuisse vicinia, exemplo evincitur Iudaeorum, a quibus morem illum vetustiores Christiani acceperunt. Eandem consuetudinem servarunt Aegyptii antiquissimi. Canobica Academia admodum celebris fuit. Kircherus iterum notatus. Hadrianus Imp. in villa Tiburtina quare Canobum aedificaverit? Canobi templum structurae elegantia conspicuum. Cuncta Aegyptiorum delubra erant magnifica. Canobi aedem cur monetarius duarum tantum columnarum finxerit? Templa, in suprema frontispicii parte, Aegyptii exornabant globo alato; cuius symboli explicatio Kircheriana ingeniosa quidem, sed veritati minus similis. Theodosio M. imperante Canobi templum direptum est soloque aequatum.



Istiusmodi argumentorum enodationes nos hactenus habuerunt sollicitos, quae, quod eorum cognitio compluribus maximisque obstructa erat difficultatibus, non aperte et plane, sed coniiciendo tantum valuimus interpretari. Neque vero emersisse iam e vadis et scopulos omnes praetervecta videtur nostra disputatio. Quae enim, praeter binas imagunculas

culas, capitibus proxime praecedentibus explicatas, in area numiſmatis noſtri averſa, ſignavit monetarius, delubrum nempe et temporis, quo numus eſt percuſſus, nota, quamvis intellectu paullo ſint faciliora, haud tamen ea poterunt explanari ratione, ut ſatis omnibus fiat, nec cuiquam dubitandi relinquatur occaſio. Quod ad templum attinet, nos ſi recte icuncularum illam, quae in dextro comparet latere, numini Canobico vindicavimus; nec pondere ſuo carent argumenta, quibus firmare ſumus annixi, plumbeum noſtrum Canobi eſſe cuſum: illud ipſum repraeſentabit fanum, in quo Canobitae civitatis ſuae ſymbolum praeſidemque divinis proſequuti ſunt honoribus. Canobo, *idolo*, in urbe, ipſi cognomine, templum fuiſſe dedicatum, et res ipſa loquitur, et STEPHANI, Byzantini (s), confirmatur auctoritate. Attribuit quidem non indiligens ille geographus fanum hocce non Canobitarum numini patrio, ſed Neptuno Canobo. Nihilominus tamen haud dubitavimus, huic auctori, hac in cauſſa, denuntiare teſtimonium; denuntiabuntque eidem omnes, qui intelligunt, quam proclive fuerit Graeculo, fortaſſis theologiae Aegyptiacae non adeo gnaro, Canobicum numen, quod, aquaticum eſſe et ſupremum ignis dominum, audierat (t), cum Neptuno confundere, quem populares ſuos credere noverat maris rectorem, fluviorum et fontium patrem. Meminit etiam templi Canobici eiusdemque claritatem celebrat DIONYSIUS (u):

Καὶ τέμενος περίπυστον Ἀμυκλαίοιο Κανώβου

Et fanum percelebre Amyclaei Canobi.

Ad quem locum quum annotaret EVSTATHIVS, Periegetam circumlocutione uſum, τέμενος Κανώβου appellare ipſam Canobicam civitatem: dubio procul in animo habuit proprium vocabuli τεμένου ſignificatum, quo *locum, deo alicui dedicatum*, Graecis denotavit antiquiſſimis. Sic enim DIDYMVS, vel quisquis alius in Homerum ſcholia, quae minora vul-

(s) *De urbibus*, vocabulo Κάνωβος.

(t) Vide ſupra Cap. VI.

(u) In *Orbis deſcriptione*, v. 13.

vulgo vocantur, conſcripſit, τέμενος dictum teſtatur (x), ἱερὸν χωρίον, ἀφωρισμένον θεῷ κατὰ τιμὴν, ἢ ἥρωϊ, *regionem ſacram, deo, aut Heroi alicui, in honorem, ſeparatam.* Verum, non poſſumus, quin cum doctiſſimo ſacrorum Theſſalonicenſium ſupremo antiſtite faciamus divortium, habeamusque perſuaſum, DIONYSIVM, templum celeberrimum, per ſynecdochen, pro univerſa Canobica civitate poſuiſſe. Non quaevis enim loca, aut agros, cultui conſecratos religioſo, Graeciae habitatores priſcos proprie dixiſſe τεμένη, ſed eos duntaxat, qui arboribus erant conſiti, verbo, lucos, non paucis veterum auctorum teſtimoniis perſpicuum fecit in palaeſtra philologica exercitatiſſimus ſcholae Fridericianae, quae Magdeburgi floret, moderator, IOH. PHIL. CASSELIVS (y); cuius tamen diligentiae effugiſſe miramur HESIODI verſiculos, hac in controverſia utiliſſimos. Quem enim in agro Pagaſaeo, ad ſeptentrionem Pelaſgici ſinus, incoluit lucum Apollo, eum modo τέμενος (z), modo autem (a) ἄλσος appellat vates ille Aſcraeus. Hac igitur notione Periegetam τέμενος adhibuiſſe de civitate Canobica, ei demum erit perſuaſum, qui induxerit animum, urbem luci appellatione poſſe deſignari, quoniam, uti hic arboribus, ſic illa aedificiis ſit conſita. Et, ſi maxime largiremur, ſaepius memoratam vocem quamcunque numinibus dedicatam regionem olim ſonaſſe: omnino nihil lucri tamen inde percepturus eſſet EVSTATHIVS, quem haud potuit latere, in iſtiusmodi locis ſacris nec ſerere, nec metere, multo minus aedes exſtruere urbesque condere ulli fuiſſe permiſſum. Summo igitur iure ſubſcribimus antiquis Periegetae interpretibus, ab ipſo Theſſalonicenſium praeſule laudatis, qui τέμενος Κανώβου, de aede a Canobiris numini ſuo patrio dicata, expoſuerunt. Neque etiam obſtat uſus vocabuli τέμενος, quippe quo recentioris

X 3 aetatis

(x) Ad *Iliad.* lib. II. v. 696. Conf. eiusdem DIDYMI *notata ad Iliad.* lib. VIII. v. 48. et IOH. GOTHOFR. LAKEMACHERI *antiquitates Graecorum ſacrae*, Part. I. cap. 5. §. 1. pag. 135.

(y) In *Exercitatione de locis, in uſum ſacrum deſtinatis, Graecis, τὰ τεμένη dictis*, edita Magdeburgi, 1731. 4.

(z) Vid. *Scutum Herculis*, v. 58.

(a) Loco citato, v. 70

aetatis scriptores designarunt non modo agrum eum in finem a ceterum separatum, ut inaedificaretur ei templum, quo sensu apud PAVSANIAM (b) legitur, sed delubra quoque iam exstructa. Testem huius rei, praeter HESYCHIVM, SVIDAM et Etymologum (c), habemus DIONEM CHRYSOSTOMVM (d), scribentem: Κασσάνδραν πανευπρεπῆ κόρην, ἱερείαν τοῦ Ἀπόλλωνος, ἐν τῷ τεμένει φθαρῆναι, τῆς Ἀθηνᾶς ἐχομένην τοῦ ἀγάλματος. *Cassandram, valde decoram virginem, sacerdotem Apollinis, in templo esse vitiatam, amplexam Minervae simulacrum.* Sic quoque AELIANVS (e) sacellum, quod Athenienses tribus Lei filiabus consecraverant nuncupabantque Λεωκόριον (f), appellat τέμενος. Habuit autem DIONYSIVS caussas iustas et complures, cur illud Canobici numinis fanum diceret περίπυστον, *maxime inclitum.* Primo enim Canobus ibi responsa ipsum consulentibus dabat; eratque hoc oraculum maximae et diginitatis, et auctoritatis, virtutesque eius longe lateque celebrabantur. Conservavit nobis oraculi huius memoriam STRABO; quo auctore etiam novimus, consultum fuisse Canobum per insomnia, atque in eius delubro aegrotos medicinae incubasse caussa. Merentur geographi verba, quae integra huc transscribamus (g): Κάνωβος ἐστὶ πόλις ἔχουσα τὸ τοῦ Σαράπιδος ἱερὸν πολλῇ ἀγιστείᾳ τιμώμενον, καὶ θεραπείας ἐκφέρον, ὥστε καὶ τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἄνδρας πιστεύειν, καὶ ἐγκοιμᾶσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν, ἢ ἑτέρων. Συγγράφουσι δὲ τινες καὶ τὰς θεραπείας, ἄλλοι δὲ ἀρετὰς τῶν ἐνταῦθα λογίων. *Canobus, urbs, templum Serapidis habet, religiose cultum, ex quo morborum proferuntur curationes, ut etiam nobilissimi viri ei credant, et pro se, vel pro aliis insomnia ibi captent. Sunt, qui curationes conscribant; quidam vero virtutes ibi editorum oraculorum.* Iniicit quoque huius oraculi mentionem PLVTARCHVS (h), idque, ex HERACLIDIS, Pontici, opinione, Plutonis fuisse, narrat. Provocat praeterea

---

(b) *Eliacorum* libro posteriori, Cap. VI. pag. 467

(c) Vide hos lexicographos, vocabulo τέμενος.

(d) In *Oratione de eo, quod Ilium non sit captum*, pag. 193. A.

(e) *Historiae variae* lib. XII. cap. 28.

(f) Vide IOH. MEVRSII *Ceramicum geminum*, Cap. XVII. pag. 64. sqq.

(g) *Geographic.* lib. XVII. pag. 1152.

(h) *De Iside et Osiride*, pag. 361. E.

terea χρηστηρίου Canobici celebritatem probaturus ATHAN. KIRCHERVS (i) ad PAVSANIAM, qui referat, ad illud undique confluxisse res futuras scire cupientes Aegyptios. Verum, ne unicum quidem verbulum de Canobi oraculo in illius Graeciae descriptione quum legatur: fas erit coniicere, memoriae lapsu, PAVSANIAM pro STRABONE nominasse virum non ineruditum maximeque diligentem; cui vero, quum hocce oraculum, quod ille Geographorum primipilus Serapidi tribuit, Canobico vindicat numini, toto annuendum esse capite, arbitramur; licet argumenta, quibus hanc opinionem allaborat confirmare, parum habere ponderis, ambabus, uti aiunt, concedamus manibus. Quod enim inprimis, ac ferme solum, urget, Serapidem et Canobum numina reputasse superstitiosos haudquaquam diversa, illud, silente universa antiquitate, ut teste ullo idoneo queat probari, valdopere veremur. Magnam contra suae sententiae veri conciliasset similitudinem KIRCHERVS, si observasset, dictionem *Serapis* veteres nonnunquam loco cognominis usurpasse. Testes huius consuetudinis excitare potuisset eos, qui in marmoribus, apud IAN. GRVTERVM (k) obvios, Iovi adscripserunt Serapidis titulum. Est huius generis, quem exhibemus:

I. O. M. SARAPIDI
PRO. SALVTE. IMP. L. SEPT. SEVERI
PII. PERTINAC. AVG. ARABICI
ADIABEN. PARTHICI. MAXIMI. ET
IMP. M. AVRELI. ANTONINI. AVG.
L. QVIRINALIS. MAXIMVS
TRIB. MILIT. LEG. X. GEM
P. F. V. S. L. M.

His enim lapidibus admodum probabiliter potuisset confici, STRABONEM, omisso nomine Canobici numinis proprio, eius tantum exprimere

(i) Loco, mox citando.

(k) Pag. XXII. num. 7. 8. 9. et 10.

mere cognomen, idque fortaſſis propterea, quod hoc illo magis inter Graece loquentes populos erat cognitum. Tacemus iam de pondere, quod huic adiectum fuiſſet coniecturae, ſi obſervaſſet KIRCHERVS, illud ſolemne ubique propemodum terrarum ſervaſſe homines antiquos, ut patrios potius deos, quam peregrinos, qualis in Aegypto erat Serapis, a Ptolemaeo, Lagi, Sinope accerſitus (l), de rebus dubiis futurisque conſulerent. Illud tantum addimus, huic opinioni plurimum adiunctum fuiſſe veroſimilitudinis, ſi KIRCHERVS teſtatus fuiſſet TACITVM (m), qui, Serapidem conſulentibus Alexandriae reſpondiſſe, memorat. Quum enim, ſacrificulos oracula non niſi lucri cauſſa inſtituiſſe, apud noſtri aevi ſapientes ſit in confeſſo: tanto magis a veritate abhorret, Alexandrinos, ad quos primum Serapis, ex Ponto, pervenerat, conceſſiſſe Canobitis, idem interrogare numen, quo vicinores ipſis erant et quo maius detrimentum inde poterant facere. Superſunt hodieque nonnulla dei Canobici reſponſa, ſi eidem ſodalitii, quod ab optimo ſervatore nomen adſcivit, collegae adiungimus fidem. Tria enim ſequentia ore huius dei eſſe prolata contendit (n). Primum, quo Canobum de ſe ipſo loqui arbitratur, ſic ſonat:

Ἥλιος, Ὦρος, Ὄσιρις, Ἄναξ, Διόνυσος, Ἀπόλλων,
Ὡρῶν καὶ καιρῶν ταμίης, ἀνέμων δὲ καὶ ὄμβρων.
Ἠοῦς καὶ νυκτὸς πολυαστέρος ἡνία νωμῶν,
Ζαφλεγέων ἄστρων βασιλεὺς ἠδ' ἀθάνατον πῦρ,
Ὕδωρ πολύγονον κολποὺς γαίας διαπείρων,
Αὐτοφυής, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέλικτος.
Οὔνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον, ἐν πυρὶ ναίων.
Τουτὶ θεός· μικρὰ δὲ θεοῦ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς.

Ego

(l) Vid. PLVTARCHVS *de ſollertia animalium*, pag. 984. A. et TACITVS *hiſtoriarum* lib. IIII. cap. 83. ſqq.

(m) Loco citato, Cap. 81. Conf. ANTON VAN DALE, *de oraculis veterum ethnicorum*, diſſert. II. cap. 7. pag. 574.

(n) In *Oedipo Aegyptiaco*, Tom. III. ſyntagm. XIIII. cap. 4. pag. 442. ſqq.

Ego Sol, Horus, Osiris, Rex, Bacchus, Apollo,
Tempestatum et temporum promus, ventorum et imbrium,
Aurorae et noctis, multum stellatae, habenas regens,
Valde flammantium astrorum rex, et immortalis ignis.
Aquae liquor omnigenis seminibus refertus, et sinus terrae penetrans,
Ex se ipso ortus, a nemine doctus, sine matre, inconcussus,
Nomen ne verbo quidem capiendum, in igne habitans:
Hoc deus est; modica autem dei portio angeli nos.

Secundum, quo edocentur superstitiosi, quibus temporibus caerimoniisque adorare debeant numina, hoc est:

Κληΐζειν Ἑρμῆν, ἠδ᾽ Ἠέλιον κατὰ ταῦτα
Ἡμέρῃ ἠελίου· Μήνην δ᾽, ὅτε τῆς δὲ παρέιη
Ἡμέρη· ἠδὲ Κρόνον, ἠδ᾽ ἑξείης Ἀφροδίτην,
Κλήσεσιν ἀφθέγκτοις, ἃς εὗρε μάγων ὄχ᾽ ἄριστος
Τῆς ἑπταφθόγγου βασιλεὺς, ὃν πάντες ἴσασιν.
Invoca Mercurium et Solem, eodem pacto,
Die solis: Lunam vero, quum huius adfuerit
Dies: ac Saturnum et consequenter Venerem,
Vocationibus non sonoris, quas reperit magorum optimus
Septies sonantis rex, quem omnes norunt.

Adscribimus et tertium:

Φαιδρὴ μὲν κατὰ δῶμα θεοῦ καταλάμπεται αὐγή.
Ἦλθε γὰρ, ἠντιβόλησε μέγας θεὸς, εἶδεν ἐμεῖο
Κάρτος ἀμαιμάκετον λαμπηδόνα. φλογμοτύραννον,
Βόστρυχον ἐκ κεφαλῆς νεάτης, χαροποῖσι μετώποις
Ἀμφὶς ἰαινόμενον πλοχμοῖς θ᾽ ἱεροῖσι γενείου.
Clara quidem per domum dei splendet lux.
Venit enim, occurrit magnus deus, vidit meum
Robur inexpugnabile, lampadem urentem tyrannos,
Cincinnum ex capite summo, iucundo vultu
Vndique exhilaratum, cirrisque sacris menti.

At vero, KIRCHERVM et, quem testatur, IOH. OBSOPAEVM (o), quum perhibent, horum carminum auctorem numen esse Canobicum, haud esse audiendos, sed utrumque errorem admittere sic satis gravem, videbimus: si ipsos veteres scriptores, qui hosce versiculos ab interitu vindicarunt, consulimus. Ad horum enim oraculorum primum quod attinet, illud in templo Apollinis, et quidem Clarii, Colophone, esse editum, disertis verbis referunt EVSEBIVS (p) et LACTANTIVS (q); quorum prior secundum quoque Apollini, nullo tamen addito cognomine, attribuit (r). Quod autem loco recitavimus ultimo, illud quidem laudatus Caesariensis episcopus (s) Serapidi adscribit: quum vero non indicet, quanam in civitate ille aram habuerit; maxime ambiguum habeo, Canobum Serapidem hocce oraculum fudisse. Fuit autem Canobi templum non solum propter μαντεύματα, in eo prolata, summo honore et nomine, sed splendorem eo quoque est assequutum, quod quasi ludus quidam et discendi officina patebat. Antoninum saltem, philosophum Platonicum, qui saeculo post Christum natum circiter quarto claruisse videtur, in Canobi delubro sapientiae disciplinas, magno cum applausu, exposuisse, testis est EVNAPIVS (t): Ἀντωνῖνος τὸ Κανωβικὸν τοῦ Νείλου καταλαβὼν στόμα, καὶ τοῖς ἐκεῖ τελουμένοις προσθεὶς ὅλον ἑαυτὸν, τήντε ἀπὸ τῆς μητρὸς πρόῤῥησιν ἐξεβιάζετο· καὶ ἡ νεότης τῶν ὑγιαινόντων τὰς ψυχὰς καὶ φιλοσοφίας ἐπιθυμούντων, ἐφοίτων πρὸς αὐτὸν, καὶ τὸ ἱερὸν νεανίσκων ἱερέων μεστὸν ἦν. *Antoninus sedem apud Canobicum Nili ostium obtinuit, seque totum dedidit iis, qui ibi instituebantur, studens modis omnibus matris de se praedictioni respondere. Ad eum iuventus sanior, ac sapientiae studio dedita, frequens commeabat; fano adolescentibus, qui sacris operabantur, pleno.* Neque autem est, quod arbitremur, scholam hanc recentiori demum aetate esse institutam. Eam enim floruisse iam antiquissimis

(o) In *Oraculis vetustis*, ad calcem *Sybillinorum*, pag. 7, 55 et 69.

(p) De *praeparatione evangelica*, lib. III. cap. 15. pag. 125. C.

(q) *Divinarum institutionum* lib. I. cap. 7. sub initium.

(r) Loco citato, lib. V. cap. 14. pag. 202. B.

(s) Loco citato, pag. 201. B.

(t) *De vitis philosophorum et sophistarum*, pag. 68. sq. edit. Plantin.

ſimis temporibus, vero eſt longe ſimillimum. Ita enim more veterum, eorum inprimis, qui ſolem ſpectabant orientem, fuit comparatum, ut loca, erudiendae iuventuti deſtinata, non ſeiuncta eſſent a templis, aut ſaltem in horum exſtruerentur vicinia. Hieroſolymis, in הר הבית, ſive ſpatio templi extimo, quod vulgo quidem, haud vero inepte, atrium vocatur gentilium, peculiare ſtetiſſe novimus aedificium, disputationibus de rebus, ad religionem pertinentibus, conſecratum, in quo Chriſtum, καθεζόμενον ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων, καὶ ἀκούοντα αὐτῶν, καὶ ἐπερωτῶντα αὐτούς, *ſedentem in medio magiſtrorum, et audientem eos, et eos interrogantem*, inveniſſe ipſius parentes, LVCAS (u) prodidit memoriae. Contigiſſe hoc quidem dicit hiſtoricus ſacer ἐν τῷ ἱερῷ; quam vero vocem, non templum, in quo mortalium nemini, excepto rege, Davidica ſtirpe oriundo, ſedere licuit, ſed ſynagogam, templo contiguam, denotare, dudum obſervarunt philologi (x); et ſcite quidem, dummodo ne ſumſerint *ſynagogae* vocabulum ſenſu ſtrictiori, quo locum ſonat, precibus fundendis, legi Moſaicae legendae ceteriſque Iudaicae religionis caerimoniis obſervandis dicatum. In huiusmodi enim aede controverſias disceptare, piaculum Iudaei ſemper arbitrati ſunt maximum. Recte omnino calculos ſubduxerunt, ſi *ſynagogae* dictionem latiſſimo acceperunt ſignificatu, quo non modo ſacrorum conventuum denotat domum, ſed comprehendit quoque בית מדרש, ſive *gymnaſium*, (y) quod uti frequentabatur a iuventute, diſciplinarum cupida, ſic plerumque ſynagogae eſſe ſolebat adiunctum (z). Talis fuit ſchola, in qua Paullum, Athenis, cum Iudaeis viriſque religioſis disputationem eſſe ingreſſum, ſacri annales (a) memorant. Nec minus hodie nullam ſynagogam paullo celebriorem inveniemus, quin auditorio inſtructa ſit ſcholaſtico. Iu-

(u) Cap. II, 46.

(x) Vide IOH. CHRISTOPH. WOLFII *curas philologicas et criticas in IIII. evangelia et actus apoſtolicos*, pag. 593.

(y) Conf. CAMP. VITRINGA *de ſynagoga vetere*, lib. I. part. I. cap. 5. pag. 134. ſq.

(z) Vide GEORG. VRSINI *antiquitates Hebraicas ſcholaſtico-academicas*, Cap. III. pag. 51.

(a) *Actor*. XVII. 17.

daeos hac in re imitatos esse vetustiores Christianos, quippe quos similiter iuxta aedes sacras, et in coenobiis ferme cunctis, scholas habuisse, exemplis docent HERM. CONRINGIVS (b) et summae eruditionis humanitatisque laudibus instructissimus IAC. BVRCKHARDVS (c), illis facile persuadebimus, qui, ex synagogis Iudaicis antiquiorum Christianorum ritus si non omnes, at certe maximam partem esse derivatos, cognoverunt. Quod vero ad Aegyptios attinet, eos eandem servasse consuetudinem, eorumque templa docentium discentiumque strepuisse vocibus, deprehendemus: si, in hac gente, qui docendi munere fuerint functi, consideraverimus. Nemo ignorat, doctrinae universae curam iuventutisque institutionem, apud hunc populum, commissas fuisse sacerdotibus, hominibus munditiei adeo studiosis, ut, teste HERODOTO (d), quater quotidie aqua se purificaverint et tertio quoque die totum raserint corpus, ne sordium quicquam ipsis adhaereret sicque ad sacra obeunda redderentur inepti. Hac autem superstitione qui fuerunt imbuti, eos admodum est probabile non alibi, quam in locis, ab omni impuritate remotis, nempe in templis, docuisse, idque tanto lubentius, quoniam docendi munus ad sacra pertinebat officia, et libri cum theologici, tum aliarum disciplinarum in delubris (e) erant repositi. Ne quis vero caussari possit, nos rem facti, quae exemplis et testimoniis debeat confirmari, ratiocinando tantum probasse: commode meminimus, Alexandriae, in Museo, peculiarem fuisse aedem, in qua sacerdotes philologiam, quo nomine veteres non modo disciplinas humaniores historicasque, sed philosophicas etiam comprehendisse constat (f), docuerunt; sicuti

(b) In *Antiquitatibus academicis*, pag. 62. sq. et alibi passim.

(c) In *Dissert. de variis Germaniae scholarum a Caroli M. temporibus usque ad saec. XVI. mutationibus*, pag. 6.

(d) In *Euterpe*, Cap. XXXVII.

(e) Vide SILVEST. LVERSENII *dissert. de bibliothecis veterum*, §. 4. subiecta eiusdem libro singulari *de templo et bibliotheca Apollinis Palatini*, et adde HENR. PIPPINGII *arcana bibliothecae Thomanae Lipsiensis sacra retecta*, pag. 302. *Accessionis alterius collectioni Maderianae de bibliothecis adiunctae a* IOH. ANDR. SCHMIDIO.

(f) IOH. A WOWER *de polymathia*, Cap. XV.

sicuti dudum evicit CLAVD. NICASIVS (g). Quae quum ita sint: non sine omni fundamento summam antiquitatem tribuimus scholae Canobicae, quam insuper totius Aegypti celeberrimam fuisse, recte quidem, sed sine ullo idoneo teste, affirmat ATHAN. KIRCHERVS (h). Nam, apud CLEMENTEM, Alexandrinum, quem memoriae prodidisse ait, Canobicam Academiam *fontem fuisse et originem omnis theologiae Agyptiacae; doctas ibi esse litteras sacras, quas* ἱερογλυφικὰς *vocant; sacerdotes initiatos; mysteria sacra nullo loco accuratius tradita, ac proinde ab omni hominum genere, maxime a Graecis, frequentatam;* adeo altum his de rebus scimus esse silentium, loco praesertim, a KIRCHERO indicato, ut ne unico quidem verbulo Canobitarum faciat mentionem, nec, praeter luculentam philosophiae Aegyptiacae descriptionem (i), quicquam de re huius gentis scholastica referat. Quam autem huius Gymnasii celebritatem vere quidem coniecit, haud vero probavit KIRCHERVS: eam non obscure licet colligere ex quodam Hadriani Imp. facto, cuius conservatam memoriam AEL. SPARTIANO (k) referimus acceptam. Nam, quum ille imperator, villam Tiburtinam mire exornaturus, in ea locorum celeberrimorum nomina inscripsit; atque aedificium aliud Lyceum, aliud Academiam, aliud Poecilen, aliud Tempen, aliud denique Canobum vocavit: hoc ipso indicare voluisse videtur, posteriorem civitatem diligenti disciplinarum cultura aeque magnam sibi acquisivisse nobilitatem, ac reliqua loca, partim, propter summorum philosophorum, qui in illis docuerunt, eruditionem, toto orbe antiquo nomine erant summo, partim vero Musis poëtisque gratissima. Denique suspexerunt etiam veteres templi Canobici structurae magnificentiam; qua vero reliqua Aegyptiorum delubra ipsum aequabant. Quamvis enim hic populus, deos suos fingeret figura admodum ridiculos, immo deformes

(g) *De numo pantheo Hadriani Imp.* Cap. III. pag. 23.

(h) *Oedipi Aegyptiaci* Tom. I. syntagm. III. cap. 7. pag. 208.

(i) Vide *Stromatum* lib. VI. pag. 757. edit. Ioh. Potteri.

(k) In *Vita huius imperatoris*, Cap. XXVI. pag. 215. sq.

mes : non omittebat tamen haec ſua monſtra in templis collocare, ſplendore et elegantia maxime conſpicuis. Ἀιγυπτίοις, inquit paullo ante laudatus CLEMENS, Alexandrinus (l), ναοὶ καὶ προπύλαια παρ' αὐτοῖς καὶ προτεμενίσματα ἐξήσκηται, ἄλση τε, καὶ ὀργάδες· κίοσί τε παμπόλλοις ἐστεφάνωνται αἱ αὐλαί· τοῖχοι δὲ ἀποστίλβουσι ξενικοῖς λίθοις, καὶ γραφῆς ἐντέχνου ἃς ἐνδεῖ οὐδὲ ἕν· χρυσῷ δὲ καὶ ἀργύρῳ καὶ ἠλέκτρῳ παραστίλβουσιν οἱ ναοί· καὶ τοῖς ἀπὸ Ινδίας καὶ Ἀιθιοπίας πεποικιλμένοις μαρμαίρουσι λιθιδίοις· τὰ δὲ ἄδυτα χρυσοπάστοις ἐπισκιάζεται πέπλοις κ. τ. λ. *Apud Aegyptios templa eorumque porticus, veſtibula ac luci magnifice inſtructi, eorumque atria multis columnis cincta ſunt : parietes autem lapidibus peregrinis et artificioſe depictis reſplendent, ita ut nihil deſit : aedes autem auro, argento et electro collucent, et ex India ac Aethiopia variis fulgent lapillis : adyta vero intextis auro obumbrantur peplis* etc. Quod ad columnas attinet, quibus, pro more Aegyptiorum, templum Canobicum magno inſtructum fuit numero, earum quidem duae tantum in numiſmate noſtro comparent: quilibet vero intelligit, monetarium, areae anguſtia coactum, atque ut erigendis numinum ſimulacris ſpatium nanciſceretur, reliquas omiſiſſe. Non neglexit vero idem in illa huius aedis parte, quam Graeci ἀετὸν, ſive ἀέτωμα vocabant, exprimere globum alatum; quem aliis quoque Aegyptiorum templis fuiſſe ornamento, delubrum, apud BERN. DE MONTFAVCON (m) obvium, fidem facit, quippe in cuius ſuprema frontiſpicii parte idem globus, cum annexis alis atque prodeuntibus hinc et inde duobus avium, vel, ſi mavis, ſerpentum capitibus, conſpicitur. Hac figura quid ſignificare voluerint religionis Aegyptiacae antiſtites, quamvis aenigma Platonis numero obſcurius merito exiſtimetur: a ſuo tamen ſenſu intelligentiaque non eſſe disiunctum, reputavit ATHANAS. KIRCHERVS (n). Scribit enim confidenter : *Symbolum* κυκλο-οφι-πτερόμορφον, *id eſt, globus, alis et ſerpentibus conſpicuus, nihil aliud*

(l) In *Paedagogo*, lib. III. cap. 2. pag. 252.

(m) *Supplement au livre de l'antiquité expliquée*, Tom. II. pag. 37.

(n) *Oedipi Aegyptiaci* Tom. III. ſyntagm. I. diviſ. 7. pag. 136. Conf. eiusdem *Obeliſcum Pamphilium*, pag. 598.

aliud notat, nisi primam mentem, et supremam omnium caussarum caussam, a qua, veluti a vitarum omnium, omnium idearum fonte infinito, omnia in omnia, sempiterno quodam effluxu, derivantur. Hunc idealem eius conceptum non incongrue exhibent per circulum, alas, serpentem: sicuti enim ex centro circuli omnes lineae ad circumferentiam ducuntur, ita ex circulo hoc, cuius centrum ubique, circumferentia nusquam, per verbum suum apte serpenti comparatum, et spiritum pantamorphum, per alas indicatum, idealium rationum radii, in universam mundorum naturam diffusi, singulas substantias, tam sensibiles, quam insensibiles virtutum suarum signaculis notant. Nolumus quidem infitias ire, haec satis ingeniose esse excogitata: est autem, quod vereamur, ut assensione eorum possint approbari, qui non argutias, sed ipsam venantur veritatem. Hi enim sententiam, testibus omnino nullis innixam, tamdiu respuent, neque id iniuste, donec scriptores fuerint citati, quorum tuto sequantur auctoritatem. Immo erunt, qui, in tanta rerum Aegyptiacarum obscuritate, hieroglyphicam huius globi significationem dilucide et ita, ut ullus nemini resideat scrupulus, posse explicari, praecise negabunt; quorum sententiae subscribere, quum et nos haud poeniteat: satius erit tacere, quam coniecturam, hac de re captam, sed ambiguam atque incertam, adeoque facile in dubium vocandam, in medium proferre. Vltimo loco adhuc monemus, tectum delubri Canonibici rotundum in numismate conspici, quoniam, apud Asianos, Palaestinenses Aegyptiosque, aedes privatae tecta plana, templa vero semper fastigiata, aut rotunda habuerunt (o). Vt ut autem Aegyptii Canobum deorum reputaverunt maximum: non diu tamen, post exortum veritatis salutiferae solem, huius quoque superstitionis tenebrae sunt dispulsae. Eius enim templum, antiquitate, religione, doctrina et splendore celebratissimum, a Theodosii Magni militibus direptum soloque aequatum est; eius vero divitiae Christianorum datae sunt sacerdotibus, teste EVNAPIO, quem, licet, ut vanae religionis asse-

(o) Vid. HADR. RELANDI *antiquitates sacras veterum Hebraeorum*, Part. I. cap. VIIII. §. 29. et adde DAVID. MILLII *dissert. de aedium Hebraeorum tectis*, habitam Vltraiect. 1727.

affecta, sacrilegium hoc existimaverit, tamen neminem pigebit hac de re differentem audiisse. Καὶ τὰ περὶ τὸν Κάνωβον ἱερὰ, inquit (p), ταυτὸ τοῦτο ἔπασχον. Θεοδοσίου μὲν τότε βασιλεύοντος, Θεοφίλου δὲ προστατοῦντος, τῶν ἐναγῶν ἀνθρώπου τινὸς Εὐρυμέδοντος,

"Ος ποθ' ὑπερθύμοισι γιγάντεσι βασίλευσεν.

Ευεgίου δὲ τὴν πολιτικὴν ἀρχὴν ἄρχοντος, Ῥωμανοῦ δὲ τοὺς κατ' Ἄιγυπτον στρατιώτας πεπιστευμένου, οἵτινες ἅμα φραξάμενοι κατὰ λίθων καὶ λιθοξόων θυμὸν ἐπὶ ταῦτα ἀλλόμενοι, πολέμου δὲ μήτε ἀκοὴν ὑφιστάμενοι, τῷ τε Σαραπείῳ κατελυμήναντο, καὶ τοῖς ἀναθήμασιν ἐπολέμησαν, ἀνανταγώνιστον καὶ ἄμαχον νίκην νικήσαντες. τοῖς γοῦν ἀνδριάσι καὶ ἀναθήμασιν ἐς τοσόνδε γενναίως ἐμαχέσαντο, ὥστε ου μόνον ἐνίκων αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ ἔκλεπτον· καὶ τάξις ἦν αὐτοῖς πολεμικὴ τὸ ὑφελόμενον λαθεῖν· τοῦ δὲ Σαραπείου μόνον τὸ ἔδαφος ουχ ὑφείλοντο, διὰ βάρος τῶν λίθων· ου γὰρ ἦσαν ἐυμετακίνητοι· συγχέαντες δὲ ἅπαντα καὶ ταράξαντες, οἱ πολεμικώτατοι καὶ γενναῖοι, καὶ τὰς χεῖρας ἀναιμάκτους μὲν, ουκ ἀφιλοχρημάτους δὲ προτείναντες, τούς τε θεοὺς ἔφασαν νενικηκέναι· καὶ τὴν ἱεροσυλίαν καὶ τὴν ἀσέβειαν ὡς ἔπαινον σφῶν αὐτῶν κατελογίζοντο· εἶτα ἐπεισῆγον τοῖς ἱεροῖς τόποις τοὺς καλουμένους Μοναχούς. *Simile quid Canobicis templis accidit, imperante tunc Theodosio, praetorii praefecto Theophilo, piaculari homine, et Eurymedonte quopiam, qui*

Late rex tumidos inter saevosque gigantes primatum tenuit;


Venerio tum urbis praefecto, et Romano Aegypti legiones cum imperio obtinente; qui omnes iras adversus saxa et lapicidas aggerantes, ea oppugnabant, et qui bellum nunquam auditione acceperant, Sarapidis aedem funditus funt demoliti, templique donariis manus hostiliter iniecerunt, absque hoste et citra proelium victoriam adepti. Eo pacto cum simulacris ac donariis commissa strenue pugna, non devicere modo illa, verum etiam depeculati fuere, militarisque inter ipsos lex erat et tessera, uti, quod quisque furto subduxerit, lateret occultum. Mansit tamen area aedis, quam asportare nequiverunt, ob saxorum moles, quae difficulter loco commoveri poterant. At egregii illi viri et bellicosi, confusis perturbatisque rebus omnibus, debellasse se deos, incruentis quidem, sed ab avaritiae crimine non impuris manibus, gloriabantur, sacrilegium et impietatis crimen laudi sibi assumentes. Iidem postea in loca sacra invexerunt sic dictos Monachos.

CAPUT

(p) Loco citato. pag. 73. sq.

CAPVT VIIII.

De littera L, *in numis Aegyptiacis exhibita, ſingulare opus promiſit Nic. Toinardus. Fortun. Liceti perabſurda huius elementi interpretatio exploditur.* L *non litteram eſſe, ſed notam, a Grammaticis* διπλῆς, *ſive* circumductionis *nomine deſignatam, contendit Iſ. Caſaubonus; qui vero refellitur. Ioſ. Scaligeri ſententia, littera* L *luſtrum ſignificari, reiecta. Antiquarii plerique arbitrantur, eam deſumtam eſſe ex* λυκάβας. *Littera* L *loco* Λ *apud Graecos antiquiores uſurpata.. Vocabuli* λυκάβας, *annum ſonantis, origo eſt admodum obſcura. Horum quoque opinio in ambiguis ponenda. In ſententia Henr. Noriſii, exiſtimantis,* L *notam eſſe compendiariam, qua Aſtronomi Aegyptiaci annum indicaverint, varia deſiderantur. Cuſus eſt plumbeus noſter anno Hadriani non vitae, ſed imperii decimo octavo. Rationes, cur Aegyptii plures, in Hadriani, quam aliorum imperatorum, honorem numos cudendos curaverint, expromuntur.*



Nihil nunc ſupereſt in numiſmate noſtro, quod explicatione indigeat, praeter litteras LIH, quas Canobi templo hinc et inde videmus adſcriptas. Eas numi ſignati indicare tempus, antiquarii quidem tantum non omnes fatentur; ita autem, ut de vera earum ſignificatione inter ſe diſſideant atque diſcordent. Quod ad horum elementorum primum, L nempe, attinet, quod nusquam alibi, quam in Aegyptiorum, quorundam Palaeſtinenſium et Syrorum numis occurrit, ſublatae fortaſſis nunc eſſent controverſiae, quas de illo, ad hunc usque diem, in philologorum agitari novimus foro: ſi NIC. TOINARDVS promiſſis ſtetiſſet, et ſingulare hac de littera, in numis exhibita, opus, quod ipſum paraſſe teſtis eſt CLAVD. NICASIVS (q), cum orbe communicaſſet

 lit-

(q) De *numo Pantheo Hadriani Imp.* Cap. V. pag. 72. ſq.

litterario. In variis autem eruditorum de huius litterae significatione opinionibus omnino nulla est stolidior absurdiorque illa, quam vir alioqui et doctrinae liberalioris, et philosophiae bene peritus, FORTVN. LICETVS (r), adoptavit. Quum enim in numismatis cuiusdam Aegyptiaci, Hadriani memoriae dicati, parte aversa, praeter magnum cristatumque serpentem, multis plicatum gyris, quorum unus caduceum, alius vero spicam comprehendebat, reperisset litteras LIΔ; audacter affirmabat, horum trium characterum genuinam significationem tribus hisce contineri vocibus: *Lucernas invenit Delta*, nimirum Aegyptus inferior, a Graecis Latinisque, ob figuram triquetram, Delta nuncupata; quippe quae festum accensionis lucernarum invenerit, nec carere potuerit diu lampadibus ad praelucendum noctu navigantibus portumque quaerentibus. Quemadmodum vero huic somnio suo aliquam veri conciliasset speciem LICETVS; si potuisset ostendere, quarum rerum inventiones Aegyptii celebrare voluerint numis, in quibus L IA. L. IB. L. IΓ etc. legitur: sic ipsius argumenta, quibus receptam harum litterarum interpretationem, secundum quam percussi numismatis designant tempus, impugnat facili, immo nullo prorsus negotio labefactantur. Nam, quod ait, *nullam prorsus esse rationem, quae doceat, apud Graecos, undecimam Latinorum litteram, L, annum significare: nec ab eis unquam Latinam illam litteram L usurpari*; id, scio, reprobasset ipse, si oculo attentiori voluisset perlustrare orbis antiqui monumenta. Ex his enim discere potuisset, utique Graecos L pro Λ quondam scripsisse, eodemque charactere annum significasse. Sic quoque rationem, a numerali potestate τῶν IΔ desumtam, quae elementa non semper Graecis indicare numerum decimum quartum reputat, ipse infringit, dum addit, recentiori paullo aetate, commemoratum valorem eas litteras habuisse subiectum; quo ipso, quod veritas postulabat (s), est fassus. Nihilo verosimilior est explicatio

IS.

(r) *De lucernis antiquorum reconditis*, lib. VI. cap. 99. pag. 1119. sqq.

(s) Conf. GVLIEL. BEVEREGII *arithmeticam chronologicam*, lib. I. cap. 7.

IS. CASAVBONI (t), existimantis, L non esse litteram, sed notam, a Grammaticis nomine διπλῆς, sive *circumductionis* vocatam; cuius usus, quoties non satis erat spatii in linea, ut omnes versus litteras comprehenderet, et reliquae supra, aut infra, praemissa hac nota, debebant reiici. Approbasse haec suo assensu CAROL. DV FRESNE, affirmant quidem laudatus NICASIVS (u) et HENR. NORISIVS (x): sed falluntur. Tantum enim abfuit, ut subscripserit CASAVBONO vir eruditissimus, ut potius eius opinionem expendendam reliquerit antiquariis (y); idque propterea fortassis, quod eam levi tibicine fultam iudicabat. Ac certe haec nota nunquam habuit figuram L, sed modo forma fuit trigoni obliqui, citra basin, ⊲, uti apud HEPHAESTIONEM (z) pingitur, modo autem sic L scribebatur, uti videmus in marmore Ancyrano, apud BERN. DE MONTFAVCON (a) obvio. Praeterea, quum διπλῆς notam semper in fine, nunquam vero in vocum principio usurpaverint scribae antiqui: omnes numi, in quibus, praeter litteram L characteresque numerales, nihil legitur, ex quorum numero noster est plumbeus, adversus CASAVBONVM fortissime militant; quandoquidem ibi L, quippe in lineae initio scriptum, circumductio nequit reputari. Duabus hactenus recensitis de significatione τοῦ L sententiis, ob insignem, qua eminet, futilitatem, iungi meretur tertia, a IOS. SCALIGERO (b) publice proposita, qua non solum, reclamante universa antiquitate, affirmat, *in numis Graecis aliquando* L, *aliquando* Λ *esse sculptum*, sed contendit etiam, *in veteribus monumentis lustrum designari singulari* L, assensores nactus IAN. GRVTERVM (c) et IOH. MARSHAMVM (d). Hanc vero in-

(t) In *Notis ad* SVETONII *Augustum*, Cap. LXXXVII.

(u) Loco citato.

(x) Loco, mox indicando.

(y) Vid. *Appendix glossarii ad scriptores mediae et infimae Graecitatis*, pag. 122.

(z) In *Enchiridio de metris et poëmate*, pag. 74. sq. edit. de Pauw.

(a) *Palaeographiae Graecae* lib. II. cap. 6. pag. 167.

(b) *De emendatione temporum*, lib. V. pag. 384. et in *Animadversionibus in chronologica Eusebii*, pag. 224.

(c) In *Corpore inscriptionum*, p. CCCXXVII.

(d) In *Canone chronico*, pag. 61.

terpretationem, dudum a DIONYS. PETAVIO (e) et EZECH. SPANHEMIO (f) improbatam, accurate redarguit HENRIC. NORISIVS (g), qui, probaturus, SCALIGERI opinionem iocularem eius hac in re ostendere inscitiam, ita est ratiocinatus: *E cimeliis Mediceis numum Augusti profero, apud Sidonem scalptum, cum notis* L. ZIP. *ac praeterea binos Traiani numos, a Sidoniis pariter percussos, in quorum uno sunt notae* L. EKC. *in alio vero* L. ZKC. *Porro Augustus obiit* A. V. *Romae* 767, *Traianus vero* A. V. 870. *Enimvero, si in laudato Augusti numo littera* L. *lustrum indicat, fuisset illud apud Sidonios lustrum* ZIP, CXVII; *in numis autem Traiani signarentur lustra* CCXXV. *et* CCXXVII, *ac proinde ab imperio Augusti ad annos principatus Traiani centum ac decem plane lustra Sidone peracta fuissent, quae dant annos* 550; *quum tamen ab obitu Augusti ad mortem Traiani tres tantum supra centum anni numerentur.* Quum itaque sententiam et LICETI, et CASAVBONI, et SCALIGERI non potuerint non respuere numismatographi peritiores: plerique omnes, et in his nominatim IAC. SPONIVS (h), IOH. HARDVINVS (i) et LVDOV. IOBERTVS (k), opinati sunt, litteram L, a monetariis ad annum signandum adhibitam, desumtam esse ex vocabulo λυκάβας, quo Graece loquentes populi olim designaverint *annum.* Atque, hanc suam ut probarent coniecturam, observarunt, τὸ λάμβδα Graecos antiquissimos non ea pinxisse figura, quae nostra adhuc aetate usurpatur Λ, sed illa, quam ex Graecia acceperunt Romani, L. Communierunt hoc partim auctoritate antiquissimi tribuum Atticarum fragmenti, a IAC. SPONIO (l) in lucem vindicati, in quo nullibi Λ, sed constanter, Latino more, L scribitur; LYKINOΣ, LYΣIMAXIΔEΣ, BLEΠYPOΣ, KAL-

(e) *De doctrina temporum*, lib. XI. cap. 20.

(f) De *praestantia et usu numismatum*, pag. 873. edit. 1671. 4.

(g) *De annis et epochis Syromacedonum*, Diss. IIII. cap. 1. pag. 366. edit. Lips.

(h) *Recherches curieuses d'antiquité*, pag. 225.

(i) In *Antirrhetico de numis antiquis coloniarum et municipiorum*, pag. 55.

(k) *La science des medailles antiques et modernes*, pag. 95.

(l) In *Miscellaneis eruditae antiquitatis*, sect. X. pag. 315.

KALLIПOΣ etc. partim vero duabus columnis, ab Herode Attico dedicatis, atque a IAN. GRVTERO (m) descriptis, in quibus, archaismi affectatione, pro Λ bis legitur L. Vocabulo autem λυκάβας priscos Graeciae incolas eam subiecisse potestatem, ut *annum* significaverit, confirmarunt testimonio HOMERI (n):

Τοῦ δ' αὐτοῦ λυκάβαντος ἐλεύσεται ἐνθάδ' Ὀδυσσεύς.

Hoc ipso anno veniet huc Vlysses.

Et verbis, quae sub initium marmoris, in insula Chio reperti, leguntur (o):

ΕΒΔΟΜΟΝ ΕΙC ΔΕΚΑΤΟΝ ΤΕ ΒΙΟΥ ΛΥΚΑΒΑΝΤΑ ΠΕΡΩΝΤΑ.

Quum septimus et decimus vitae annus labitur.

Nec non Hierophili pueri epitaphio, Romae effosso et a RAPHAEL FABRETTO (p) edito, in quo de memorato puero dicitur:

ΕΠΤΑ ΜΟΝΟΥΣ ΛΥΚΑΒΑΝΤΑΣ ΔΥΩ ΚΑΙ ΜΗΝΑΣ ΕΖΗΣΑ.

Septem solos annos duosque menses vixi.

De origine huius dictionis, ut eam quoque paucis attingamus, non convenit inter ipsos scriptores veteres. Alii enim dictum contendunt τὸν λυκάβαντα, ἀπὸ τοῦ λύκου, id est, *sole*, cuius cursu anni constituuntur. Facit cum his MACROBIVS (q), qui, *annum quoque*, inquit, *vetustissimi Graecorum* λυκάβαντα *appellabant*, τὸν ἀπὸ τοῦ λύκου, *id est*, sole, βαινόμενον καὶ μετρούμενον. Λύκον *autem solem vocari, etiam Lycopolitana Thebaidos civitas testimonio est: quae pari religione Apollinem, itemque lupum, hoc est*, λύκον, *colit, in utroque solem venerans: quod hoc animal rapit et consumit omnia, in modum solis, ac plurimum oculorum acie cernens, tenebras noctis evincit.* Quidam vero, et in his HESYCHIVS (r), DIDYMVS (s) et vetus APOLLONII, Rhodii, scholiastes (t), hanc vocem derivandam

 esse

(m) Pag. XXVII, 1.

(n) *Odyss.* lib. XIIII. v. 161. Conf. lib. XVIIII. v. 306.

(o) Apud IAN. GRVTERVM, pag. MXXXVI. 9.

(p) *Inscription. antiq.* pag. 425.

(q) *Saturnaliorum* lib. I. cap. 17. pag. 257.

(r) Vocabulo, Λυκάβας.

(s) Ad HOMERI locum, modo citatum.

(t) Ad *Argonauticorum* lib. II. v. 123.

esse contendunt παρὰ τὸ λυγαίως βαίνειν τὸν ἐνιαυτὸν, ο ἐστι σκοτεινῶς, *quod anni tempus tacite et latenter praetereat*, eaque propter a quibusdam etiam λυγάβας scribi. Inprimis ridicula est derivatio, cuius EVSTATHIVS (u) meminit, secundum quam annus appellatus est λυκάβας ἀπὸ τοῦ λύκε, id est, *lupo*; quod, quemadmodum lupi, ut perhibent (x), quum flumen traiiciunt rapidum, quisque caudam proxime praecedentis arripit mordicusque tenet: ita etiam anni dies, serie haud interrupta cohaerentes, labuntur. Cum autem semper fortassis sub iudice lis erit, quaenam harum etymologiarum ad veritatem sit propensior; tum illi, qui ex λυκάβας petitam esse censent signatam in aere Aegyptiaco litteram L, non animadvertunt, adesse multa, quibus ipsorum sententia si minus refellatur, certe dubia reddatur atque improbabilis. Recte enim iam monuit HENR. NORISIVS (y): *Si* λυκάβαντα *designare voluissent monetarii littera* L, *cur non initiali littera* Λ *usi fuissent, sed potius* L, *littera ab omnibus Graecis iam diu antiquata, cuius vix unum et alterum tantum exemplum, in tot inscriptionibus Graecis, hactenus vidimus?* Accedit, quod λυκάβας dictio est minus usitata atque, quod ARTEMIDORI (z) novimus testimonio, poëtica, ac proinde a stili tenuitate, quam in numis sollicite servarunt veteres, aliena Quae quum ita sint: hanc quoque improbamus sententiam, toto capite annuturi modo commemorato docto purpurato, arbitranti, L *compendiariae potius notae, apud Aegyptios usitatae, quam cuiuspiam litterae rationem habere:* nisi et haec coniectura rebus variis in dubitationem adduceretur. Ad eam capiendam occasionem obtulit NORISIO quidam bibliothecae Mediceae ad D. Laurentii codex manu exaratus, in quo, inter complures scientiae Astronomicae notas, legitur: LL. ἔτη, id est, *anni.* Verum, quamvis hinc fiat manifestum, vetustos siderum studiosos duplici L pro annorum usos esse signo: nondum

---

(u) *Commentar. in Homerum*, Tom. III. pag. 538.

(x) Vide AELIANVM *de natura animalium*, lib. III. cap. 6.

(y) Loco citato, pag. 365.

(z) De *somniorum interpretatione*, lib. II. cap. 12. pag. 58. b. edit. Aldinae.

dum tamen probatum est, simplici L eosdem annum designasse. Et, hoc quoque si largiremur: afferenda tamen esset ratio, cur astronomicam notam adhibuerint monetarii, quos signa usurpasse, a plerorumque hominum intelligentia remota, aeque est ambiguum, ac dubium videtur NORISIO, eosdem λάμβδα forma sculpsisse, iamdiu apud Graecos obsoleta. Denique, illud quoque a veritate merito iudicamus alienum, quod NORISIVS affirmat, nempe *apud Aegyptios praecipue annum nota* L *fuisse designatum*. Id quidem eo confirmari existimat, quod plures compendiariae notae, quae in laudato codice exponuntur, Latinarum formam non praeferunt. Sed, ita si licet argumentari: ego facile opera probavero, siglas, quae TIRONIS et SENECAE esse dicuntur, ex Aegypto in Latium pervenisse; quandoquidem et in illis bene multae inveniuntur, quae maximam cum Romanorum litteris habent dissimilitudinem. Vt ut autem elementi L, in aere Aegyptiaco expressi, natales in hoc usque tempus tenebris crassis occultatae iacent; nec eas feliciter indagare nobis permittit paupertina nostra rei antiquariae supellex: eo tamen nihil aliud, quam annum significari, unanimi virorum, in antiquo orbe versatissimorum, nititur consensu. Promtum igitur est atque propositum, plumbeum nostrum signatum esse anno IH. id est, *decimo octavo*, non aetatis, sed imperii Hadriani. Quoniam enim Hadrianus, a Traiano, paullo ante obitum, adoptatus, quum annos viginti ac menses undecim (a) imperasset, vixit annos sexaginta duos, menses quinque, dies septendecim (b); ac proinde rei Romanae arbitrium obtinuit anno aetatis quadragesimo secundo: ita perspicuum est, ut oculis iudicare queant omnes, eum, annos natum octodecim, nondum ullam imperandi spem fuisse adeptum, multo minus, uti in numismate nostro legimus, Ἀυτοκράτωρ Κάισαρ Τραιάνος Ἀδριάνος Σεβαστός; *Imperator Caesar Traianus Adrianus Augustus*, potuisse salutari. Missum

(a) Vide ANTON. PAGI *dissertationem hypaticam, seu de consulibus Caesareis*, Part. I. cap. 4.

(b) Vid. eiusdem PAGI *critica historico-chronologica in annales Baronii*, ad A. C. 138. num. III.

ſum nunc facere poſſemus plumbeum noſtrum, in cuius interpretatione ſic ſatis fuimus multi: niſi, noſtrarum partium eſſe, arbitraremur, expromere etiam cauſſas, quibus Canobitae impulſi cum plumbeum noſtrum, tum alios numos complures, paſſim in cimeliarchiis obvios, in Hadriani memoriam iuſſerunt ſignari. Harum principem ſitam fuiſſe crediderim in eximia illa caritate, qua hunc imperatorem dilexiſſe univerſos propemodum Aegyptios, documento eſt ingens Hadriani honoribus dicatorum numiſmatum cumulus, qui tantus eſſe deprehenditur, ut imperatorum Romanorum neminem tot numis celebraverint, quot Hadriani nomen ab interitu anniſi ſunt vindicare. Nam, Alexandrinos, Apollonopolitas, Arſinoëtas, Buſiritas, Cabaſitas, Coptitas, Cynopolitas, Dioſpolitas, Heracleopolitas, Hermopolitas, Hypſelitas, Leontopolitas, Lycopolitas, Memphitas, Mendeſios, Menelaitas, Metelitas, Oxyrynchitas, Panopolitas, Peluſiotas, Pinamytas, Proſopitas, Saitas, Sebennytas, Sethroitas, Tanaitas, Thinitas, Tentyritas ceterasque civitates Aegyptiacas ferme cunctas, numos Hadriani cudiſſe honori, IOH. HARDVINVS (c) iam obſervavit, nec quisquam eorum, qui gazas paullo inſtructiores oculo diligenti perluſtrarunt, ignorat. Cognovit autem Hadrianus habitatores Aegypti gloriae ſuae ſtudioſiſſimos cupidiſſimosque propter frequentes in hac regione commorationes; quippe quam ſua praeſentia cohoneſtaſſe imperii annis tertio, ſexto, duodecimo, decimo tertio, decimo quinto et decimo ſexto, dilucide commonſtravit ANTON. PAGI (d). Inprimis autem Aegyptios ſibi devinxit Hadrianus collatis in eos beneficiis ornamentisque. Nam τὰς πόλεις, verba recitamus IOH. XIPHILINI (e), τάς τε συμμαχίδας καὶ τὰς ὑπηκόους μεγαλοπρεπέστατα ὠφέλησε. πολλὰς μὲν γὰρ εἶδεν αὐτῶν, ὅσας οὐδεὶς ἄλλος αὐτοκράτωρ, πάσαις δὲ ὡς εἰπεῖν ἐπεκούρησε, ταῖς μὲν ὕδωρ, ταῖς δὲ λιμένας, σῖτόν τε καὶ ἔργα, καὶ χρήματα, καὶ τιμὰς

(c) In *Hiſtoria Auguſta, ex numis antiquis Graecis Latinisque reſtituta, Operum ſelectorum*, pag. 759.

(d) Vid. loc. citat. ad A. C. 119, 122, 128, 129, 131 et 132.

(e) Lib. LXVIIII. pag. 790. B.

τιμὰς ἄλλαις ἄλλας διδούς. *Socias atque imperio Romano ſubditas urbes, ex quibus multo plures, quam ullus unquam imperator vidit, magnifice iuvit, easque aquis, portubus, frumento, operibus publicis, pecunia, bonoribus ceterisque rebus auxit atque ornavit.* Et AEL. SPARTIANVS (f) ſcribit: *In omnibus pene urbibus et aliquid aedificavit, et ludos edidit.* Celebrat quoque hanc liberalitatem numus, a FRANC. MEDIOBARBO (g) deſcriptus, qui Hadriano largitur RESTITVTORIS AEGYPTI titulum, non niſi illis principibus olim adſcriptum, qui orbis Romani provincias modis iuverant omnibus. Prae ceteris autem Aegyptiis Hadrianum faviſſe Canobitis, vel inde apparet, quod ipſorum numinis patrii templum, ſicuti paullo ante obſervavimus, in villa ſua Tiburtina aedificavit; cuius benevolentiae reliquorumque beneficiorum memoriam ad poſteros transmiſſuri Canobitae numos cum alios, in cimeliarchiis paſſim, et quidem magno numero, obvios, tum eum quoque, quem nos ſumus interpretati, in honorem evergetae ſui ſignari curarunt.

(f) Cap. XVIIII. pag. 175.

(g) *Impp. Roman. numiſm.* pag. 176.



Aa CAPVT

CAPVT X.

Gemmae nostrae genus, forma et magnitudo indicantur. Insculptam illa habet amphoralem Isidis imaginem. Non eum in finem intra Mumiam est insuta, ut hanc tutaretur. Varia, quae in medicatis Aegyptiorum funeribus, circa ventriculum, inveniuntur, utensilia artes designant, quas quisque eorum in vita est professus. Probabile igitur, cadaver, in quo gemma nostra reperta, sculptoris esse. Sculptura ab Aegyptiis, iam antiquissimis temporibus, inventa, ac deinceps summa dexteritate exculta. Multi olim in Aegypto hoc opificio victum invenerunt. Non litteris obsignandis, sed annulo magico, sive medico, gemmam nostram destinasse videtur artifex. Annulos veteres gestabant magicos, alios ad ignem cobibendum, alios ad tempestates avertendas, quosdam ad averruncandos morbos. Vltimi generis annulo nostram gemmam fuisse inserendam, probabile est.



aud ante finem licebit constituere huic nostrae commentationi, quam descripserimus, descriptamque fuerimus interpretati gemmam, in eiusdem Aegyptii medicato funere repertam, ad cuius latus alterum numisma plumbeum, superioribus explicatum capitibus, fuisse depositum, sub initium huius opusculi, significavimus. Est autem Sarda, quae, licet inter gemmas vilissimas numeretur, tamen, quod facile scalprum admittit, frequenter admodum ad sigilla aliasque imagines caelandas usurpata est ab artificibus antiquis; praecipue in Aegypto, circa quam peculiare huius lapidis genus reperiri, auctor est PLINIVS (h). Quod ad eius attinet formam, ovata ea est, non plana, ut sigilla esse solent et debent, sed convexa, atque incisa; eadem magnitudine, qua illam, periti chalcographi manu adumbratam, hic apponimus.

Con-

(h) *Historiae naturalis* lib. XXXVII. cap. 7.



Contemplandum in ea exhibuit ſculptor amphorale numen, quod Iſidis eſſe, quum ornamenta capitis, cornua nempe bovilla, vulturis pennae atque his comprehenſus globus, promtum faciant propoſitumque: hoc habuimus rationis, cur gemmam hanc cognominaremus Iſiacam. Supervacaneum autem foret, ad huius toreumatis interpretationem, amplius disputare de Iſidis idolo, quippe cuius inſignia, attributa, immo etiam ſymbolicam ſignificationem, ad veterum ſcriptorum fidem, ſupra ea ratione enarravimus, ut nihil omnino hac in gemma, artificis ſcalpro, ſit expreſſum, quin inde poſſit illuſtrari. Duo contra ſuperſunt momenta, in hocce conſideranda lapide, quae, quod non nihil obſcuritatis habent et in controverſiam poſſunt vocari, noſtrum erit ponderare, et, quantum per vires licebit noſtras, explicare. Alterum eſt, cur inciſa haec gemma in Mumiam fuerit coniecta, ibique, et quidem circa ventriculum, repoſita? Alterum vero, cui uſui eandem conſecraverit artifex? Nullus plane dubito, quosdam inter antiquarios fore, qui ad priorem quaeſtionem reſpondeant, haud alium in finem funeri medicato inſutam eſſe gemmam illam Iſiacam, quam, ut mala depelleret, et, ne qua iniuria fieret cadaveri, prohiberet. Parum quoque aberat, quin nec me poenituiſſet horum ſubſcribere ſententiae; quod intelligebam, veritate eſſe fundata, quae ATHANAS. KIRCHERUS (i) ſcribit, *idola non tantum extrinſecus ſepulcris Aegyptiorum apponi*

(i) *Oedipi Aegyptiaci* Tom. III. ſyntagm. XIII. cap. 5. pag. 418.

poni ad tutelam ſolita fuiſſe, ſed et intrinſecus, una cum faſciis, inſuta. Sed aſſenſum cohibui ſtatim, ut redii in memoriam, ad hunc uſum Aegyptios incunculas uſurpaſſe figulinas ut plurimum, nonnunquam aureas, aut ex alia factas materia; et, in hoc usque tempus, obſervaſſe neminem, eosdem gemmas quoque caelatas, phylacteriorum loco, cadaveribus adiecifſe. Accedebat deinceps, quod ventriculus, circa quem Sardam noſtram depoſitam fuiſſe indicavimus, me adducebat ad illam opinionem plane reprobandam. Animadverterunt nempe, qui complura Aegyptiorum cadavera ſtudioſe examinarunt, in memorata corporis parte diverſa reperiri utenſilia. Ita, in quadam Mumia vas eo condimento, quo corpora curarunt Aegyptii, plenum; in alia vero, quae feminini eſſe generis deprehendebatur, chordas, bene conſervatas, invenit ſaepiſſime ſupra laudatus BENED. DE MAILLET (k); qui, uti non male coniicit, hisce rebus vitae deſignari genera, quae quisque mortuorum ſit profeſſus, ita, prius cadaver eſſe pollinctoris, arbitratur, poſterius vero cithariſtriae, vel mulieris, nervorum amantis cantus. Quod ſi igitur olim, uti optamus ſperamusque, compluribus exemplis erit confirmata haec coniectura: apparebit, indicio eſſe Sardam noſtram, corpus, in quo per tot delituit ſaecula, hominis eſſe, qui victum quaeſiverit ſculptura; arte, quae iam vetuſtiſſimis temporibus in Aegypto et floruit, et ſummo ſtudio eſt exculta, et bene multos huius regionis aluit incolas. Apud Aegyptios certe, diu ante bellum Troianum, annulos fuiſſe uſurpatos, ac proinde ſculptores vixiſſe, ſigillum, cuius traditione, teſtibus MOSE (l) et FLAV. IOSEPHO (m), Pharao Ioſephum regni ſui primum adminiſtrum inauguravit, facit manifeſtum. Idem probant, quae ARISTOPHANIS interpretes vetuſti (n) de Batto, Cyrenarum primo conditore, donato a civibus ſuis annulo, in quo mulier, regi Silphium offerens, ſculpta, memoriae prodiderunt. Cyrenenſes enim, qui Aegyptiorum attingebant terminos, iisdemque foedere iuncti, imo aliquando

(k) *Deſcription de l'Egypte*, pag. 278.
(l) *Geneſ.* XXXXI, 42.
(m) *Antiquitatum Iudaicarum* lib. II. cap. 5.
(n) Ad *Pluti* v. 926.

do subiecti fuerunt, ab hisce vicinis suis accepisse sculpturam, vero est longe simillimum. Quanto autem artificio in gemmis, aliisque materiis opera efficere noverint Aegyptii, Veritatis ostendit imago, quam, in Sapphiro caelatam atque ex collo pendentem, in pectore gestasse maximum apud eos iustitiae praesulem, auctores habemus DIODORVM, Siculum (o), atque AELIANVM (p); quorum posterior novo argumento summam populi huius in scalpendo dexteritatem confirmat, quum, alio loco (q), de Cyrenensibus scribit: Ὁμολογεῖ καὶ Εὔπολις ἐν τῷ Μαρικᾷ, ὅστις αὐτῶν εὐτελέστατος, σφραγῖδας εἶχε δέκα μνῶν· παρῆν δὲ θαυμάζεσθαι καὶ τοὺς διαγλύφοντας τοὺς δακτυλίους. *Testatur etiam Eupolis in Marica, quisquis eorum parcissimus, decem tamen minarum sigilla habuisse: oportebat autem mirari etiam eos, qui sculpebant annulos.* Denique, quam ingens hominum multitudo honesto hoc opificio, apud Aegyptios, sibi vitae comparaverit alimenta, intelligere licet ex innumeris toreumatibus, quae in Aegypto, et inprimis Alexandriae, cum patrum nostrorum memoria esse inventa, tum hodieque reperiri, testes oculati, LAVR. D'ARVIEVX (r) et BENED. DE MAILLET (s), referunt. Secundo loco quaerentibus, an ille sculptor Aegyptiacus eum in finem inciderit gemmam nostram, ut litteris obsignandis emtori inserviret? non aliter, quam negative respondendum esse, arbitramur. Discessimus in hanc sententiam haud propterea, quoniam PLINIVS perhibet (t), non signasse Orientem, aut Aegyptum, litteris solis contentam. Illum enim naturalis historiae scriptorem, alias non indiligentem, hac de re nequaquam vera tradere, cum dudum animadvertit IOH. KIRCHMANNVS (u), tum extra omnem dubitationis aleam ponit tabula (x), qua legum Aegyptiacarum latores sigillorum transsculptoribus manuum truncationis consti-

(o) *Bibliothecae historicae* lib. I. pag. 68.

(p) *Historiae variae* lib. XIIII. cap. 34.

(q) Loco citato, lib. XII. cap. 30.

(r) *Memoires, contenant ses voyages a Constantinople* etc. Tom. I. pag. 202.

(s) Loco citato, pag. 38.

(t) *Historiae naturalis* lib. XXXIII. cap. I.

(u) *De annulis veterum*, Cap. II. pag. 7. edit. Lugd. Bat.

(x) Vid. IOH. NICOLAI *tract. de synedrio Aegyptiorum illorumque legibus insignioribus*, pag. 157. et 167. sqq.

runt poenam; quandoquidem hanc perferre legem supersedere potuissent; si nullus annulorum signatoriorum olim, hac in regione, fuisset usus. Verum, ut ita sentiremus, Sardae nostrae effecit forma, non plana, sed convexa, quippe quam ad litterarum aliorumque instrumentorum obsignationem haud ita putamus aptam. Ex nostra opinione, gemma haec ab artifice est exsculpta, ut futuro possessori suo usum praestaret magicum; cuius generis annulos apud veteres, inprimis Aegyptios, fuisse usitatissimos, auctores testantur bene multi. Talis fuit, HELIODORO (y) memoratus, Charicleae annulus, lapidem, qui Pantarde appellatur, in pala inclusum habens, hieroglyphicisque litteris, fortassis Canobici numinis figura, pictus, cui flammarum vim cohibendi virtutem inesse, fuit creditum. Pertinent huc quoque Smaragdi, cum impressa scarabaei imagine, passim in cimeliarchiis occurrentes, quos tempestates avertere, persuasum fuit superstitiosis; quemadmodum veterum testimoniis comprobavit IOH. CHIFLETIVS (z). Ad morbos quoque averruncandos veteres annulos in digitis gestasse, medici antiqui testantur, immo ipsi ad infirmitates depellendas eos existimarunt utiles. Sic, ALEXANDER, Trallianus (a), ex calculo laborantes iubet, in tessera, ex aere Nicano, aut Cyprio facta, insculpere leonem, lunam corniculantem et stellam, huiusque circulo circumscribere bestiae nomen; eosque sanitati restitutum iri, pollicetur, si hanc tesseram, aureo annulo inclusam, in minore digito medico, iuxta minimum, gestarent. Idem (b) dolores colicos levari affirmat annulo, in quo Hercules stans atque leonem suffocans expressus. Atque inter huius generis annulos, quos, si placet, medicos appellabis, referendam esse putamus Sardam nostram, eum in finem ab artifice elaboratam, ut futuro eius emtori contra varios, Aegyptiorum corpora affligentes, morbos auxiliaretur. Duci nos passi sumus ad hanc conie-

ctu-

(y) *Aethiopicorum* lib. VIII. cap. 22. pag. 403.

(z) in *Abraxa Proteo, seu multiformi gemmae Basilidianae portentosa varietate*, p. 131. sq.

(a) Lib. VIIII. cap. 4. pag. 539. edit. Basil. 1556. 8.

(b) Lib. X. pag. 592.

ram capiendam illa ſuperſtitioſorum opinione, qua, Iſidi valetudinem mortalium curae eſſe cordique, tradebant. Copioſe quidem de illo Iſidis officio medico ſupra (c) ſumus commentati: non piget vero idem amplius firmare inſigni DIODORI, Siculi (d), teſtimonio, non indigno, quod in concluſione huius opellae noſtrae recitemus. *Πᾶσαν σχεδὸν τὴν οἰκουμένην φασὶ μαρτυρεῖν ἑαυτοῖς εἰς τὰς ταύτης τιμὰς, φιλοτιμουμένην διὰ τὴν ἐν ταῖς θεραπείαις ἐπιφάνειαν· κατὰ γὰρ τοὺς ὕπνους ἐφισταμένην διδόναι τοῖς κάμνουσι βοηθήματα πρὸς τὰς νόσους, καὶ τοὺς ὑπακούσαντας αὐτῇ, παραδόξως ὑγιάζεσθαι· καὶ πολλοὺς μὲν ὑπὸ τῶν ἰατρῶν διὰ τὴν δυσκολίαν τοῦ νοσήματος ἀπελπισθέντας, ὑπὸ ταύτης σώζεσθαι, συχνοὺς δὲ παντελῶς πηρωθέντας τὰς ὁράσεις ἤ τινα τῶν ἄλλων μερῶν τοῦ σώματος, ὅταν πρὸς ταύτην τὴν θεὸν καταφεύγωσιν, εἰς τὴν προϋπάρξασαν ἀποκαθίστασθαι τάξιν.* *Aiunt* Aegyptii, *totius prope orbis teſtimonio ſe niti; qui effuſis deam honoribus, ob praeſens in medicando numen, remunerentur. In ſomnis enim adſiſtentem aegrotis remedia contra morbos ſubiicere, eique morigerantes nec opinato convaleſcere. Multos etiam, a medicis propter morbi difficultatem deſperatos, ab hac ſalutem accipere, plurimosque oculis prorſus captos, aut alia corporis parte mutilatos, ſi ad deam huius opem confugerint, in priſtini vigoris integritatem reſtitui.*

(c) Vide Cap. VII.

(d) Loco citato, pag. 22.

FINIS.



PLINIVS.

Res ardua, vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, et naturae ſuae omnia. Itaque etiam non aſſecutis, voluiſſe, abunde pulcrum atque magnificum eſt.



